Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de


Joachim Oporin Henrich Daniel Kipp

Simplicitas Divina Sententiae Paulinae Ephes. VI. v. 12. De Hostibus Evangelii Non Imbecillis Tantum Pseudo-Doctoribus, Sed Malignis Etiam Spiritibus Explanata Et Vindicata : D. XXVI. Martii, M DCCXLVI.

Goettingae: Hager, 1746

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn826237681

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn826237681/phys_0001
DFG

1109
a. B.
48. 6. 8.
22
Fa 1092 (22)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn826237681/phys_0002
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn826237681/phys_0005
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn826237681/phys_0006
DFG

Q. D. B. V.

SIMPLICITAS DIVINA

SENTENTIAE PAVLINAE

EPHES. VI. v. 12.

DE

HOSTIBVS EVANGELII

NON

IMBECILLIS TANTVM PSEVDO-DOCTORIBVS,

SED

MALIGNIS ETIAM SPIRITIBVS

EXPLANATA ET VINDICATA.

PRAESIDE

IOACHIMO OPORINO,

S.S. THEOLOGIAE DOCTORE ET PROFESSORE ORDINARIO.

RESPONDENTE

HENRICO DANIELE KIPPIO,

EINBEKA-HANNOVERANO

S.S. THEOLOGIAE STVDIOSO.

D. XXVI. MARTII, cIↃ IↃCCXLVI.

GOETTINGAE, TYPIS IO. FRID. HAGERI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn826237681/phys_0007
DFG

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO

DOMINO,

DOMINO

GERLACO ADOLPHO

LIB. BARONI

DE MVNCHHAVSEN,

DYNASTAE STRAVSFVRTI,

AVGVSTISSIMI REGIS

MAGNAE BRITANNIAE

IN TERRIS BRVNSVICENSIBVS

ET LVNEBVRGENSIBVS

MINISTRO STATVS

ET CONSILIARIO INTIMO

MAGNO PER DVCATVM CELLENSEM

ADVOCATO,

25.
24.6.
23.
21.8.
21.7.
20.
1
18.
1
1
15.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn826237681/phys_0009
DFG

MAECENATI SVO

SVBMISSA VENERATIONE PROSEQVENDO

HANC EXERCITATIONEM ACADEMICAM

SVBMISSISSIMO ANIMO

CVM VOTO DIGNAE ILLO FASTIGIO

ET ILLIS VIRTVTIBVS FELICITATIS

CONSECRARE AVDET

HENR. DAN. KIPPIVS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn826237681/phys_0010
DFG

CAPVT I.

SISTENS SENSVM LITERALEM PERICOPAE

Epheſ. VI. v. 10.-20.

§. I.

§. I. *Epiſtola ad Epheſios in tres partes apte diſpeſcitur, atque Argumentum primae partis recenſetur.*

Quemadmodum epiſtola ad Epheſios in tres praecipue partes apte diſpeſcitur; ita prima eius pars a Cap. I. v. 1. vſque ad finem Cap. III.

1. Complectitur gratias, quas Apoſtolus Deo id propter agit, quod conuerſi Iudaei, euangelium ad totum genus humanum ſpectans Cap. I, v. 9. 10. non acceperint modo, ſed ornent etiam amore erga cuiuscunque gentis fideles v. 15. vſque ad finem c. I.

2. Continet gaudium Apoſtoli ſuper Epheſiis Chriſtianis generatim, conuerſis quippe Iudaeis, & gentibus, commemorato infelici ſtatu praeterito gentilium Cap. II v. 1. 2. Iudaeorum v. 3. felice autem ſtatu praeſente vtrorumque v. 4-10. ita tamen, vt Chriſtianis ex gentibus alta mente repoſitum eſſe velit, partim quantopere olim Iudaeis poſtpoſiti, partim quam prope nunc adducti ſint, poſt

discrimen inter Iudaeos & gentiles a Christo sublatum, & vtrosque per praeconium euangelii in vnam ecclesiam congregatos v. 11.-18., quandoquidem gentiles ad Christum adducti nulla amplius in re cedant Iudaeis v. 19. & vna cum his vnum quoddam aedificium & templum spirituale constituant v. 20. - 22.

3. Paulus alloquitur Cap. III. speciatim gentiles conuersos, significans, quod propter ipsos vincula patiatur v. 1. siquidem ipsi probe sciant specialem suam ad gentiles vocationem v. 2. coniunctam cum amplissima patefactione de euangelio non minus ad gentiles, quam Iudaeos pertinente v. 3. 4. quod quidem mysterium eo euidentiae gradu, quo reliqui etiam Apostoli & prophetae per patefactionem Spir. sancti illud perspiciebant, nulla retro aetas perspexerat v. 5. 6. Praeterea cum demississimo indignitatis suae sensu, testatur, sibi prae aliis datum esse id negotii, vt non perueſtigandas Christi diuitias inter gentiles exponeret v. 7. 8. vniuersosque doceret, aequalia nunc iura esse vniuersorum hominum ad Iesum Christum v. 9. vt adeo per ecclesiam ex gentilibus aeque ac Iudaeis collectam sapientia dei multiplex plenius manifestaretur v. 10.-12. Denique Paulus praemissis precibus, ne fideles ex gentilibus vinculis Apostoli offendantur, vtpote quae propter gentiles, odio quippe Iudaizantium propter praeconium illud suum prae aliis Apostolis expositus, sustinebat, quaeque honori gentilium cedebant v. 13. ardentissimas quoque preces pro illis ad Deum, communem gentilium atque Iudaeorum patrem mittit, vt fideles Ephesii per Spiritum patris domini nostri Iesu Christi potenter confirmentur secundum interiorem hominem, quo tandem comprehendere queant cum vniuersis sanctis (qui sc. per fraudes Iudaizantium tot ecclesiis noxias se decipi non

non erant passi) quanta sit latitudo, longitudo, profunditas & sublimitas, nimirum ecclesiae ex Iudaeis & gentilibus collectae, ceu aedificii cuiusdam spiritualis Cap. II. 20. 21. 22. Cap. III. 10. 15. 18. atque hinc cognoscant amorem Christi, qui omnem captum prorsus superat v. 14. - 19. addita doxologia & ἀμὴν v. 20. 21.

§. II.

§. II. *Argumentum secundae partis recensetur.*

Secunda autem epistolae ad Ephesios pars, primum complectitur admonitionem Cap. IV. v. 1. - 16. quae fere tanquam euentus prophetiae, quae legitur Es. II. 3. seq. & Mich. IV. 3. respici debet. Sicut enim vterque propheta praedicit, fore tempore N. Testamenti, vt per efficacissimam euangelii ex Sione & Hierosolymis egressuri doctrinam barbarae gentes, odia & inimicitias depositurae, spiritualique amoris vinculo cum domo Iacobi coniungendae sint; ita Apostolus argumenta doctrinae euangelicae, ad stabiliendam illam inter conuersos gentiles, & Iudeaos concordiam apta, Ephesiis hic fuse exponit. Suadet quippe vnitatem Spiritus & pacem Ephesiis, ex Iudaismo, & gentilismo conuersis, quia vnum est ecclesiae N. T. corpus, vnus Spiritus, vna spes, vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus, & pater vniuersorum. Addit Apostolus, Christum id propter dedisse Apostolos, prophetas, euangelistas, pastores & doctores, vt Christiani (ex tam diuersis populis conuocati) construerentur ad aedificium mystici corporis Christi, vniuersique tandem ad eiusmodi fidei vnitatem, gradumque cognitionis filii dei peruenirent, quo non amplius expositi sint cuiuis vento doctrinae, per nequitiam hominum & πανουργίαν πρὸς τὴν μεθοδείαν τῆς πλάνης excitato, sed veritati & amori mutuo operam dantes, crescerent sub capite Christo, tot diuersa membra in vnum ecclesiae corpus apte consociante. Deinde illi primariae & generali admonitioni suae, vtpote ex tri-

bus primis epistolae capitibus fluenti, Apostolus Cap. IV. v. 17. - VI. v. 9. specialiores adhortationes quasdam pro statu externo ecclesiae Ephesinae necessarias subiunxit.

§. III.

§. III. *Argumentum tertiae partis recensetur, quod est appendix, siue* postscriptum (*vt vocant*) *ad primam huius epistolae partem pertinens.*

In tertia vero epistolae ad Ephesios parte, quae a Cap. VI. v. 10. - ad finem decurrit, notatu inprimis digna est pericopa, quae v. 10.-20. legitur, vtpote quam pro appendice siue *postscripto*, non tam ad proxime antecedentes admonitiones, quam ad praecipuum totius huius epistolae argumentum, quod Cap. I. II. III. & IV. v. 1. - 16. exponitur, pertinente habeo. Etenim pericopam illam a Cap. VI. 10.-20. decurrentem arctissime cohaerere cum prioribus quatuor capitibus huius epistolae, probo *ex conuenientia tot loquendi formarum* vtrinque adhibitarum. Sic quando Cap. VI. 12. τὰ ἐπουράνια dicuntur esse, contra quae pugnatur; non minus τὰ ἐπουράνια sunt, in quibus Paulus conuersis Iudaeis maiorem sapientiam & lucem diuinam apprecatur Cap. I. 17. seq. τὰ ἐπουράνια sunt, quorum gentiles cum Iudaeis per Christum participes redditi erant Cap. II. 6. imo τὰ ἐπουράνια sunt, ex quibus per ecclesiam cognoscitur sapientia Dei Cap. III. 10. Quando porrò Apostolus Cap. VI. 11. μεθοδείας τοῦ Διαβόλου, atque Cap. IV. 14. τὴν κυβείαν τῶν ἀνθρώπων ἐν πανουργίᾳ πρὸς τὴν μεθοδείαν τῆς πλάνης accusat; sane res cognatas proferre videtur. Etenim Cap. VI. 12. totidem verbis indicat Ephesiis, quod non vnice cum carne & sanguine, i. e. imbecillis hominibus, sed cum malignis etiam spiritibus pugna super ἐπουρανίοις detur. Denique Paulus πανοπλίαν eandem contra vtriusque generis hostes & Cap. VI. & IV. commendat. Πανοπλία contra visibiles & inuisibiles hostes Cap. VI. 13. seq. continetur cingulo veritatis, thorace iustitiae (imputatae sc. vid. Cap. II. v. 8. 9.) praeparatione per euangelium pacis conf. Cap. II. 17. III. 6. scuto fidei, galea salutis & gladio Spiritus

ritus vna cum precibus: at arma ſpeciatim contra falſos doctores Cap. IV. 15. ſunt τὸ ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ, poſtquam videlicet Epheſii aedificati ſuper fundamento Apoſtolorum & prophetarum Cap. II. 20. excitatique erant ad ſeruandam vnitatem Spiritûs per vinculum pacis Cap. IV. 3. ſeq. & ad vnitatem fidei, cognitionisque filii Dei v. 13. tam perfectae, vt nullo falſae doctrinae fuco decipi poſſent v. 14. Sicut autem ex his omnibus arctior quidam inter pericopam Cap. VI. v. 10. - 20. atque inter capita quatuor priora, nexus apparet; ita pericopam etiam illam Cap. VI. tanquam *poſtſcriptum*, ad argumentum Cap. I. II. III. & partem quarti pertinens debere reſpici, inde perſuadeor, quoniam clariſſimum eſt, materiam, quae Cap. VI. 10. - 20. conſpicitur, non tam cum proxime antecedentibus ſpecialioribus admonitionibus Cap. IV. 17. - VI. 9. conuenire, quam cum argumento quatuor priorum capitum. Accedit, quod eiusmodi *poſtſcriptum*, ſuadens ſollicitam cuſtodiam puri euangelii, ad gentiles quippe non minus, quam Iudaeos pertinentis, illo tempore eo magis neceſſarium eſſet, quo certius eſt, eccleſiam Epheſinam ſecundum Pauli praedictionem Actor. XX. 29. 30. falſis doctoribus non caruiſſe. Sic autem vix ſufficiebat id, quod Apoſtolus de diuina origine euangelii ſui, deque ſuis pro conſtantia Epheſiorum in puritate euangelii precibus commemorauerat Cap. I. - IV. niſi etiam inuiſibiles & potentiores hoſtes, poſt carecta falſorum doctorum latentes indicaſſet, armaque contra vtrosque idonea commendaſſet. Expertus erat Apoſtolus toties ſeditioſa & pernicioſa Iudaizantium placita, quae Actor. XV. 24. deſcribuntur, ideóque veri nihil ſimilius eſt, quam quod Paulus non obliqua tantum via (quod Cap. I. II. III. IV. fecerat), ſed directe etiam contra periculum, per illos turbatores eorumque auxiliatores Epheſiis fidelibus metuendum, praemonere, & re media praeſcribere voluerit. Hoc autem vbi Epheſios VI. 10. - 20. clare fa-

ctum est; haec pericopa pro *postscripto*, quale dixi, recte a me venditabitur.

§. IV.

§. IV. *Hoc postscriptum epistolae ad Eph. non tumultuariam, sed accuratam interpretationem postulat.*

Eiusmodi autem *postscriptum* epistolae ad Ephesios, non tumultuariam, sed accuratam interpretis industriam requirere, quis dubitet? Equidem facile largior, plerosque interpretes huius pericopae partim in cumulandis profanorum scriptorum locis, quibus singulas armaturae a Paulo commendatae partes illustrarent, partim in Commentariis suis vastissimis, vsum magis, quam sensum literalem pericopae curantibus (quales *Arrowschmith* in Tacticis Sacris exhibuit) fuisse nimios ac vagos. Verum nec ex altera parte dignitas verbi diuini patitur, vt tam desultoriam pericopae huius exegesin comprobem, qualem acutissimus *Ioan. Lockius* in Paraphrasi & adnotationibus suis ad hanc epistolam sine haesitatione commendauit, in haec verba ad Ephes. VI. 17. locutus: in this fore going allegory, St. Paul providing armour for his Christian soldier, to arm him at all points, there is no need curiously to explain, wherein the peculiar correspondence between those virtues and those pieces of armour consisted, it being plain enough, what the Apostle means, and werewith he would haue belieuers, be armed for their worfare. Verum enim vero postquam nexum huius pericopae, quae Ephes. VI. à v. 10 - 20. decurrit, cum quatuor primis epistolae capitibus penitius perspexi, & specialiorem illius scopum didici, non generalem hic sufficere interpretationem persuadeor. Qualem autem velim, sequente statim paraphrasi docebo.

§. V.

§. V.

Epheſios VI.

§. V. *Paraphraſis ſuper Epheſ. VI. v. 10.- 20.*

v. 10. Quod reliquum eſt, fratres mei, fortes ſitis in communione cum domino per fidem, inq; robore potentiae eius, ſiquidem vires mere humanae non ſufficiunt:

v. 11. Induite potius integram Dei armaturam, vt poſſitis ſtare aduerſus diaboli inſidias.

v. 12. Nolite enim exiſtimare, vobis vnice negotium eſſe cum nequitia imbecillorum hominum (*) & erroribus falſorum doctorum, à quibus vos vtique turbari dixi Cap. IV. 14. nolite adeò credere, acumen diſputatorium veſtrum vos ab omni erroris periculo ſatis tutos praeſtiturum eſſe. Pleniorem hoſtium veſtrorum notitiam vobis dabo. Accipite ergo: nequaquam vobis pugna vnice eſt contra carnem & ſanguinem, i. e. nudos & imbecillos homines, ſc. Iudaizantes doctores, ſed ſimul contra principatus, poteſtates, imperatores mundi, & tenebrarum huius ſeculi: &, vt clarius loquar, contra ea, quae ſunt ſpi-

(*) Conf. S. R. *Neubaueri* diſſ. de phraſi N. T. ſacra: *Caro & Sanguis*, qua euidentiſſime docet, illam loquendi formam non eſſe pure graecam, ſed ex hebraiſmo & rabbiniſmis vnice illuſtrandam. Docet autem, hanc phraſin tempore Pauli non niſi hominem miſerum, fragilem, imperfectum & mortalem denotaſſe, & hinc Deo immortali oppoſitam eſſe pag. 18.-21. Cum vero caro & ſanguis hic non Deo, ſed malignis ſpiritibus opponitur; placet mihi quoque *Calmeti* Canon, quem in Commentario literali ſuper omnibus libris V. & N. T. in Matth. p. 363. dedit; Saint Paul ſe ſert ſouvent de cette expreſſion, la chair, & le ſang, dans vn ſens oposé à l' eſprit.

ſpirituum malitiae, ſcilicet technae v. 11. (**) quae euangelio eiusque coeleſtibus bonis (***) ſeſe opponunt:
v. 13. Quapropter arripite totam Dei armaturam, vt reſiſtere poſſitis eo maxime tempore, quo eiusmodi inſultus patiemini, atque (prout ſequentia arma hanc paraphraſin requirunt) non defenſiue tantum, ſed offenſiue etiam, quod aiunt, omnia perficere, & ſtare queatis:

v. 14.

(**) Ratio, quare voces πρὸς τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ita circumſcripſerim: *vt clarius loquar, contra ea, quae ſunt ſpirituum malitiae, ſcilicet technae diabolicae v. 11.* haec eſt: Voces: ἀρχαὶ καὶ ἐξουσίαι in ipſo N. T. aliquando praefectos populi Iudaici ſignificant, e. g. Luc. XII. 11. atque penes Iudaeos temporis apoſtolici non vna omninò ſignificatio ἀρχῶν & ἐξουσιῶν, erat. Vt itaque certiſſime perſpicerent Epheſii mentem Apoſtoli, per ἀρχὰς, ἐξουσίας atque κοσμοκράτορας non hic homines maioris dignitatis, auctoritatis & poteſtatis, ſed malos daemones intelligi; apponit: πρὸς τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας. Cum verò τὰ τοῦ πνεύματος Dei 1. Cor. II. 14. in antecedente commate 13. appellentur πνευματικὰ; non dubitaui voces Apoſtoli: τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας per: τὰ τῶν πνευμάτων τῆς πονηρίας interpretari, partim quia ſtatim v. 16. πεπυρωμένα βέλη τοῦ Πονηροῦ commemorantur, partim Eph. II. 2. τοῦ πνεύματος τοῦ νῦν ἐνεργοῦντος ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας mentio ſit. Nullum adeò eſt dubium, ſolos malignos ſpiritus hic ab Apoſtolo opponi σαρκὶ καὶ αἵματι, partim quia σὰρξ καὶ αἷμα humanam imbecillitatem generatim, ſiue in vilioribus, ſiue in dignioribus ſpectetur, ſpeciatimque doctores Iudaizantes hic deſignat, partim quia pugna, quae v. 12. contra ἀρχὰς καὶ ἐξουσίας ſuſcipienda eſt, v. 11. contra Diabolum fieri dicitur.

(***) Per τὰ ἐπουράνια obiectum indicari, in quo occupantur maligni ſpiritus, τὰς πονηρίας ſuas exercentes, obiectum quippe non externum & fluxum, ſed coeleſte, ſpirituale & aeternum, ex c. I. 3. II. 6. apparet.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn826237681/phys_0018
DFG

v. 14. Generatim igitur magis magisque vos confirmate in ſalutari cognitione veritatis, ab omni videlicet errore Iudaizantium remotiſſimae, vid. Cap. IV. 13. ſequ.; ne puritas euangelii, ad totum genus humanum pertinentis vobis eripiatur: ſpeciatim verò animum veſtrum obfirmate in primaria illa veritatis doctrina de iuſtitia fidei in Chriſtum, ita, vt partim immota eius fundamenta (quae Roman: Cap. III. IV. fuſius ſunt expoſita) in promptu habeatis, partim fructus imputatae iuſtitiae, pacem cum Deo, & reliquos Rom. Cap. V. recenſitos, ipſi ſentiatis. Etenim quisquis thorace iuſtitiae ita indutus eſt; is per notitiam & experientiam ſuam ſomnia Iudaizantium facile ſpernet, vid. Galat. III. 2. Epheſ. I. 13. 14.

v. 15. Vt autem iſta veſtra conuictio de iuſtitia per ſolam fidem ſit ſolidiſſima, penetrate in intimos huius doctrinae receſſus. Sicut enim olim milites ocreas habebant, quarum ope non facile de loco ſuo moueri poterant; ita Apoſtolus vult, vt Epheſii immoti ſtent per praeparationem euangelii pacis, i. e. vt fundamentum doctrinae apoſtolicae de Chriſto, pace noſtra, qui Iudaeos & gentiles in vnum coegit Epheſ. II. 14. in ipſis praedictionibus V. T. de ſemine Abrahami omnes terrae gentes beaturo, deque regno eius vniuerſali inueſtigent, conf. Rom. IV. & XV. vbi ipſe Apoſtolus ita praeparabat ad puritatem euangelii retinendam Romanos.

v. 16. At enim vero praeter haec omnia, arripite ſcutum fidei, quo, ſicut per ſcutum totum hominis corpus, ita toti vos ſitis tuti. Cum enim vos non tantum contra imbecillos homines pugnatis, ſed contra malignos etiam ſpiritus, quorum inſtrumenta ſunt falſi doctores; ne optima quidem argumenta ſola contra aduerſarios veſtros

ſtros ſufficient, quoniam ipſi falſi doctores, iuſto Dei iudicio per Satanam occoecati 2. Corinth. IV. 4. eo virulentius contra veritatem inſurgent, ſed ſcutum fidei requiritur, quo vos ad Chriſtum confugientes, & repetito fidei actu iuſtitiam eius, qui vicit Satanam, apprehendentes, in Domino & in robore potentiae eius v. 10. ita robuſti fiatis, vt vel tela ignea Satanae, quae ille per inſtrumenta ſua cum zelo, & contentione ſophiſtica vibrabit (*) extinguere, i. e. ſpecioſiores, carnique & praeconceptis opinionibus Iudaicis adulantes errores, fulminibus, ignibusque triſulcis ſimiles non tam vnice diſputando eneruare, quam virtute fidei & Spiritus S. ſpernere poſſitis. (Errores enim in corde per fidem armato altiores radices agere non ſolent, etiamſi à Satana per inſtrumenta eius artificioſiſſime pinguntur. Victoria autem ſuper Satana per ſcutum fidei, fundatur in illa inimicitia, quam ipſe Deus propter promiſſum mulieris ſemen inter ſerpentem & fideles homines poſuit Geneſ. III. 15.)

v. 17. Non negligenda quoque eſt galea ſalutis, ita, vt inter moleſtas illas tentationes vos recreetis ſpe ineffabilis & aeternae ſalutis per Chriſtum partae, propter quam moleſtias pati refert. Nequaquam etiam ſeponite gladium Spiritus, qui eſt verbum Dei. Id enim cum ipſe Spiritus S. inſpirauit 2. Petr. I. Ioh. XVI. & idem per illud efficaciter operatur; hoc ipſum contra hoſtes veſtros viſibiles & inuiſibiles ſufficiet.

v. 18.

(*) Metaphora haec videtur deſumta eſſe à fulminibus, quae cum ſagittis in Scr. S. comparari ſolent, vid. Vir Cel. *Chriſt. Lud. Schlichterus* in Decimis S. p. 110. ſeq. Obſerv. IX. qui obſeruationes criticas huc pertinentes larga manu ſuppeditat. Mihi ſufficit obſeruare, quod tela ignita Satanae hic non denotent cogitationes blaſphemas, inuitis fidelibus ſubnatas, ſed falſas doctrinas, quas Satanas per falſos doctores periculoſe celeriterque immittebat.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn826237681/phys_0020
DFG

v. 18.19.20. Adiungite autem vigilanter ardentissimas omnis generis preces, easque & omni tempore, & pro vniuersis sanctis, eidem vobiscum periculo expositis, proque me ipso, vt in posterum etiam mihi detur, cum παῤῥησία & successu contra Iudaizantes non modo, sed etiam contra vim malignorum spirituum mysterium euangelii ad Iudaeos & gentes pertinentis in orbe promulgare.

CAPVT II.

DE SIMPLICITATE DIVINA SENTENTIAE APOSTOLICAE, SPECIATIM EPHES. VI. 12. COMPREHENSAE DE MALIGNIS SPIRITIBVS, EVANGELII HOSTIBVS, DEMONSTRATA EX PRIMO FONTE SVO.

Genes. III. 15.

§. I.

§. I. *Diuina simplicitas sententiae apostolicae, speciatim Ep. VI. 12 obuiae de necessaria fidelium etiam contra malignos spiritus pugna hoc capite vnice illustrabitur.*

TOta quidem pericopa apostolica, cuius paraphrasin C. I. dedi, grauissimi momenti est; sed circa argumentum v. 12. de pugna non contra imbecillos tantum homines, sed malignos etiam spiritus, bonorum per Christum partorum hostes suscipienda nunc vnice occupabor. In libris quippe V. T. tam multae & clarae ad pugnam fidelium contra Diabolum adhortationes non leguntur, quàm in N. T. & speciatim Eph. VI. At id mirum non est, cum maligna voluntas Diabolorum contra regnum Dei in mundo nunquam

 forte

forte feruentior fuerit, quam ab hoc ipso tempore, quo promissus capitis serpentini victor in orbem venerat ad opera Diaboli destruenda, & praedam gentilis & iudaici orbis tyranno & giganti eripiendam. In libris etiam V T. non leguntur eiusmodi nomina, e. g. ἀρχαὶ, ἐξουσίαι, κοσμοκράτορες, quibus maligni spiritus ab Apostolo Eph. VI. 12. insigniuntur. Neque tamen huius rei causa inuentu difficilis est. Etenim vbi Apostolus ad Christum conuersos Iudaeos atque gentiles ad pugnam contra malignos spiritus exstimulare volebat; non poterat non eiusmodi vocabulis vti, quae recentibus Christianis cognita erant. Apostolus hinc cum Iudaeis malignos non minus, quam bonos passim spiritus appellauit ἀρχάς & ἐξουσίας, non quasi iudaeorum sui temporis sententias de ordinibus angelorum confirmaret, sed quod haec appellatio in se spectata veritati consentiret dudum patefactae. Apostolus quoque cum gentilibus sui temporis inprimis, malignos spiritus vocat κοσμοκράτορας, & iustissime quidem, quia Diaboli mundum gentilem totum tyrannidi suae, iuste permittente Deo, subiecerant. Simplicitas autem diuina eorum, quae vir θεόπνευστος Paulus speciatim Eph. VI. 12. vberius explicatiusque de Diabolis tradidit, sole meridiano clarior erit, simulac ad primum fontem vere diuinum, ex quo tota sententia illa Paulina ceu riuulus quidam fluxit, respiciemus.

§. II.

Quid sit simplicitas diuina, quis fons primus diuinus sententiae apostolicae de malignis spiritibus? indicatur.

Per simplicitatem diuinam sententiae apostolicae de malignis spiritibus, quae Eph. VI. 12. legitur, intelligo eam illius indolem, secundum quam ab omni contagio & miscela errorum de spiritibus gentilium & iudaicorum immunis & remota est. Simplex enim id vulgo dicitur, quod impermixtum est: & ipse Paulus 2. Cor. I. 12. τὴν ἁπλότητα Θεοῦ opposuit sapientiae carnali. Per diuinum autem primumque fontem

tem sententiae illius apostolicae de malignis spiritibus intelligo primam patefactionem diuinam de existentia & malitia Diabolorum contra euangelium, ex qua, ceu scaturigine prima sua Pauli θεοπνευστα sententia illa fluxit. Hanc primam autem patefactionem invenio Gen. III. 15.

§. III

§. III. *Requisita eiusmodi fontis indicantur, & quod oraculum Genes. III. 15. pro diuino fonte illius sententiae Paulinae de existentia & pugna malignorum spirituum contra euangelium haberi possit, demonstratur.*

Quodsi patefactio quaedam diuina tanquam fons diuinus dogmatis alicuius inde deriuati respici debet; necessarium est, vt patefactio illa partim sensum suum fixum, partim diuinae originis suae indicia certa habeat, vtpote sine quibus de diuina riuulorum origine non constat. Itaque vbi oraculum numinis, quod Genes. III. 15. legitur, diuinum fontem sententiae Paulinae de existentia & pugna malignorum spirituum contra τὰ ἐπουράνια esse propugno; meum est, vt ostendam defendamque contra dissentientes, partim existentiam & malitiam Diaboli contra euangelium literaliter in illo oraculo fundari, sententiamque similem Pauli Ephes. VI. plene solideque inde diduci posse, partim oraculum illud Genes. III. propter certa diuinae suae originis indicia diuinam quoque veritatem sententiae Paulinae θεοπνευστα Ephes. VI. illustrare.

§. IV.

§. IV. *Demonstratio sensus literalis Genes. III. 15.*

Vt de sensu literali oraculi, quod Genes. III. 15. legitur, certo constet; obseruetur.

1. Serpentem, quem Deus Genes. III. 15. allocutus est, non fuisse naturalem quendam serpentem, quia serpens naturalis non poterat de religione, lege, eius interpretatione, rebusque eiusmodi aliis, cum Eua colloquium instituere, nec à Deo in iudicium vocari & condemnari. Accedit, quod ipse seruator nos docuerit, ipsum

Diabolum fuisse, qui ab initio homines occiderit Ioh. VIII. 44: quem praeterea Diabolum Iohannes Apoc. XX. 2. ipsum draconem & antiquum serpentem esse totidem verbis testatur. Serpens igitur personatus fuit, i. e Diabolus sub forma serpentis, & forte Seraphini 2. Corinth. XI. 3. coll. v. 14.

2. Personatum illum & singularem adeo serpentem, Euam decepisse, cum falsum legi diuinae sensum affingeret, & Euam per haec mendacia sua a diuina veritate abduceret: quod post Mosis clara verba seruator confirmat Ioh. VIII. 44. testatus, Diabolum illum homicidam a veritate discessisse, & proprio motu patrem mendacii factum esse:

3. Ex eo, quod Genes. III. 15. non personati tantum serpentis, sed seminis quoque serpentini mentio fiat, sponte sequi, vt semen illud serpentis non sit naturale quoddam, sed metaphoricum & morale semen, instrumenta quippe Diaboli, siue aliae creaturae ratione praeditae, quae ad exemplum & voluntatem Diaboli mendacium, siue falsam, & verbo Dei oppositam doctrinam secuturae, & propagaturae erant. Neque vnius quidem classis hoc semen serpentis fuisse, sequens Scr. S. docuit, quae partim angelorum Diaboli aeque malignorum mentionem iniecit, partim Iudaeos propter odium suum veritatis diuinae, a patre Diabolo Ioh. VIII. 44. omnesque malitiose peccantes a Diabolo esse 1. Ioh. III. 8. rotunde pronunciauit conf. Rom. XVI, 20. coll. v. 17. 1. Ioh. II. 14. Cap. IV. 4.

4. Hinc etiam elici posse, qualis & quantus sit הוּא ille ex posteris Euae, caput serpentis conculcaturus. Cum enim caput personati illius serpentis nihil aliud denotare possit, quam eius mendacium, peccatum & mortem

tem, quam in homines deriuauit; per se patet, illum הוא fore excellentissimam personam, quae id praestitura sit, quod vires mere humanas omnes superabat:

5. Obseruetur, ingens solatium ex oraculo hoc Dei Euae vna cum posteris eius omnibus, quotquot hanc promissionem reuerenter habituri erant, necessario natum esse, & ideo non potuisse non facile intelligi, qualis sit inimicitia, quam Deus inter personatum illum serpentem, deceptamque mulierem, atque inter serpentis & mulieris semen positurus erat. Ponebatur quippe haec inimicitia ipso promulgati proteuangelii tempore, ideoque ea nihil aliud innuit, quam Deum per hanc gratiae suae promissionem Euae, matri viuentium post promulgatum proteuangelium appellatae, seminique eius in illa promissione fiduciam collocanti, oculos mentis aperturum, voluntatemque flexurum esse, vt illi omnes funestam amicitiam suam per peccatum & falsam doctrinam cum Diabolo contractam cum horrore agnituri, & detestaturi sint.

§. V.

§. V. *Vindiciae huius sensus literalis Genes. III. 15.*

Fateor, in tam incredibili interpretum, cum iudaicorum, tum Christianorum dissensu circa sensum oraculi nostri, me videri posse nimis liberaliter adstruxisse, quod oraculum illud sensu suo certo & fixo gaudeat, ita, vt dogma aliquod diuinum ex eo fluxisse, solide ostendi possit. Scio quoque, *Balth. Bekkernm* in Mundo fascinato Libr. II. Cap. XX. difficultates circa historiam lapsus tantas habuisse, vt ex ea verum argumentum, quod vim probandi haberet, diduci posse rotunde negaret. Verum salua res est, cum non obstantibus diuortiis sententiarum apud interpretes, sufficiat, haec tria solide probari.

1. Genes. III. veram historiam, non vero allegoriam inueniri:

2. In

2. In hac hiſtoria praeſentiam & opus ipſius Diaboli nulla arte obſcurari poſſe:

3. Admiſſa praeſentia Diaboli, influxum etiam realem eius in Euae animam negari non poſſe. His tribus extra dubitationem collocatis, de ſenſu certo & fixo hiſtoriae Geneſ. III. ſatis certi erimus. Primum itaque ſc. *veram hiſtoriam, non allegoriam Geneſ. III. quaerendam eſſe*, tam certum eſt, quam indubitato differt allegoria rationi conformis ab inani verborum luſu. Quotquot quidem cum *Philone* Iudaeo, non hiſtoriam hic quaerunt, ſed allegoriam, hi res omnes ad ſerpentem pertinentes in ſymbola *voluptatis* conuertunt, ita, vt omnes ſerpentis actiones, & quidem cum conſilio & magna aſtutia coniunctas, omnesque ſerpentis ſermones, (ad quos pertinet aſtuta illa transpoſitio particulae לא a verbo אכל ad verbum מות, quae Euam in conſenſum maxime abripuiſſe videtur) grauemque ob facinus commiſſum ſerpenti denunciatam poenam, non de ſuppoſito quodam intelligente, ſed de voluptatibus interioribus protoplaſtorum accipiant. Verum cum haec omnia ita ſe habent, vt de voluptatibus hominis interioribus quibuscunque praedicari prorſus nequeant; non poteſt hic quaeri ſana quaedam allegoria, ſed aut hiſtoria vera, aut inanis verborum luſus, qui Scr. S. non decet, hic adſit oportet. Voluptates enim allegorice non poſſunt dici, quod aſtute & per fallacem verborum tranſpoſitionem loquantur, quod poenam luant, ſuper ventre repant, puluereque comedant. Haec omnia non ſunt ſymbola voluptatis, niſi per inſulſum aliquem verborum luſum, qui fundamentum nec in re, nec in Scr. S. habet. Vnde vetuſtiſſima etiam eccleſia iudaica Sapient. II. v. 23. ſeq. Chriſtus Ioh. VIII. 44. θεοπνεύστοι Apoſtoli 2. Corinth. XI. 3. 1. Ioh. III. 9.

Apoc.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn826237681/phys_0026
DFG

Apoc. XII. Cap. XX. nunquam aliter, quam pro vera historia habuerunt deceptionem Euae per serpentem. Deinde mihi euincendum est, in hac historia *praesentiam & operationem ipsius maligni spiritus nulla arte obscurari posse*. Fuerunt quidem inter Iudaeos & Christianos, qui historiam lapsus allegorice interpretari, religioni sibi duxerunt, attamen historiam illam ita explicare voluerunt, vt nullae Diabolo partes ibi essent. Inter illos interpretes clarus est *Abarbanel* in Commentario ad h. l. qui, cum communem gentis suae opinionem de serpente naturali, & quidem sermonem habente & erecto ferre non posset, non quidem negauit, quod mere naturalis serpens fuerit, nec tamen admittere voluit, illum sermone ad Euam decipiendam vsum fuisse, opinatus, serpentem exemplo suo, atque crebriore in arborem scientiae ascensu & descensu, fructuum item de hac arbore esu innoxio, ad diuini interdicti transgressionem Euam allexisse, vt illa ex hac ipsa actione serpentis intra animum ratiocinata sit, se minimè morte morituram, sed Deo prorsus similem futuram. Etsi autem hanc *Abarbanelis* meditationem *Simeon de Muis*, Prof. Parisinus in Variis S. p. 187. pro acutissimo interpretamento habuit; tamen error *Abarbanelis* perspectu non difficilis est. Nam

1. Rem, quae ceu extus gesta narratur, in catenam quandam mere interiorum cogitationum conuertere non licet, vbi nulla necessitas adest, deserendi verborum proprietatem.

2. *Abarbanel* vim textui infert, cum concipi non possit, quomodo serpens suo exemplo, si alloquio factum non est, Euae persuadere potuerit, eam ex esu fructus vetiti, Deo fore similem, siquidem Eua nullo modo sibi

persuadere poterat, serpentem futurum esse sicut אלהים.

3. Nulla etiam sunt, quae *Abarbanel* ad ornandam & defendendam meditationem suam in medium attulit e. g. *τὸ dicere* h. l. idem esse, quod Iob. XII. 7. 8 legitur: interroga pecus, quod docebit, & aues coeli, quae tibi dicent: itemque Iob. XXVIII. 14. 22. Psalm. CXLVIII. 7. quae loca etiam R. *Lipman* cum *Abarbanele* vrget, quod, sicuti coeli loqui dicantur, quibus loquela non competit; ita & cum serpente res sese habeat. Verum post *Frischmuthum*, & B. *Hofmannum* B. *Rusius* & *Schlosserus* in pererudita diss. sua de serpente seductore obseruarunt, quod illud ipsum penes Iobum & Dauidem non nisi obiectiue, seu effectiue, figurate, & per prosopopoeiam fiat; quia illae res sua pulchritudine testantur nobis, se originem a Deo creatore habere, id quod verbis exprimere non possunt, quia sunt res sensu & vita destitutae. In praesenti vero historia Gen. III. vbi, non vt in hymnis, artificio poetico, & improprie quid recensetur, *quaestionis* & *responsionis* expressa fit mentio: quae, longe diuersam rationem esse inter hanc & illa loca, abunde testantur. Denique supereſt, vt ostendam, quod, admissa praesentia Diaboli, *influxus etiam realis eius in animam Euae negari nequeat.* Contraria quippe est *Balth. Bekkeri* sententia, qui §. XX. Libri sui, Mundus fascinatus: gewiß, inquit, daß der Fall des Menschen von dem Teufel; aber ungewiß, wie der Teufel ihn zuwegegebracht. Ad captum enim & statum vulgi Mosen, allegoria a serpente desumta, descriptionem deceptionis expressisse putat, vnde incertum maneat, quo consilio, quo fine & quo sensu. *Bekkerus* praeterea statuit, nullam dari operationem spiritus in spiritum aut corpus, vtpote quocum spiritui nihil sit commune, nec illam concipi posse. Falsam autem hanc esse hypothesin, certum est, quia, si spiritus, qua spi-

ſpiritus, abſolute non poſſet operari extra ſe, ſequeretur, nec ipſum Deum ita operari poſſe: imò, ſi nihil prorſus ſpiritui cum corpore commune eſſe poſſet; mirum profecto eſſet, Deum tam oppoſitas ſubſtantias in homine conſociaſſe. Id vnum addo, *Bekkerum*, cum totidem verbis dicat, partim lapſum hominis a Satana eſſe, partim lapſum ſine vlla operatione Satanae vel in animam vel in corpus Euae, modum licet ignores, factum eſſe; ἀσύτατα locutum eſſe.

§. VI.

§. VI. Ex eiusmodi ſenſu fixo oraculi Geneſ. III. 15. oſtenſo & vindicato doctrina Pauli Eph. VI. 12. de exiſtentia & pugna malignorum ſpirituum contra euangelium, plene ſolideque deriuatur.

Poſtquam adeo ſenſus fixus hiſtoriae Geneſ. III. per falſitatem interpretum diſſentientium euidentius nunc in oculos incurrit; oſtendam porro, doctrinam Pauli Epheſ. VI. 12. de exiſtentia & pugna malignorum ſpirituum contra Euangelii coeleſtia bona, plene ſolideque ex Geneſ. III. ſpeciatim v. 15. deriuari poſſe. Res ipſa id loquitur, nempe perpetuus conſenſus ſententiae Paulinae cum illo commate, ſiue pugnam, quam Apoſtolus ſuaſit, ſiue hoſtes, quos patefecit, ſiue obiectum hoſtilis conſilii deſignatum, ſiue arma a Paulo commendata reſpicias. Omnia haec partim ad inimicitiam inter Euam poſterosque, atque ſerpentem, eiusque ſemen a Deo poſitam, partim ad promiſſum mulieris ſemen, caput ſerpentis contriturum redeunt. An enim Epheſ. VI. 12. caro & ſanguis, vna cum principatibus, & poteſtatibus, contra coeleſtia pugnans, alios denotat, quam ſemen ſerpentis & ſerpentem Geneſ. III. 15.? An coeleſtia bona Epheſ. VI. ſunt aliud quid, quam gratia Dei in ſemine mulieris, victore ſerpentis Geneſ. III. 15. promiſſa? An de doctrina veritatis euangelicae, ſpeciatimque doctrina fidei in Chriſtum, deque reliquis, quae Epheſ. VI. recenſentur, cogitare licet, quin ſimul in memoriam nobis veniat promiſſus Geneſ. III. 15. ille, qui mendacio ſerpentis ſe oppoſiturus, & amiſſam iuſtitiam atque ſalutem reſtituturus erat? neque credentes in Chriſtum, qui Epheſ. VI. pugnare iubentur, ſunt alii, quam poſteri

Euae, ceu matris viuentium, i. e. homines fiduciam ſuam in ſemen mulieris κατ' ἐξοχὴν collocantes, & patefactae veritati adhaerentes, qui tanquam ſemen huius matris, ſemini ſerpentis oppoſitum deſcribuntur Geneſ. III. 15. Vt taceam conſenſum Pauli Epheſ. VI. cum oraculo Geneſ. III. 15. etiam ex hoc capite, quod, ſicut Paulus victoriam fidelium ſuper falſis doctoribus & malignis ſpiritibus à vi diuinae veritatis, iuſtitiae Chriſti fide apprehenſae, verbi diuini, & precum deriuauit; ita Deus quoque Geneſ. III. non proprio Euae & poſterorum motui, ſed ſibi, vtpote inimicitiam contra ſerpentem, & eius inſtrumenta propter promiſſum הוא, & per efficaciam huius promiſſionis poſituro tribuat. En ſententiae Paulinae de malignis ſpiritibus fontem Geneſ. III. 15. demonſtratum!

§. VII.

§. VII.

Sententiam etiam Pauli de malignis ſpiritibus eſſe diuinam ſententiam & doctrinam fidei, ex diuina origine ſcaturiginis ſuae, ſcilicet proteuangelii, confirmatur.

Neque autem tantum perpetuus ille conſenſus ſententiae Paulinae Epheſ. VI. 12. cum Geneſ. III. 15. ſuadet, hoc oraculum *fontem primum* eſſe ſententiae Paulinae; ſed idem etiam confirmatur inde, quod Paulus, licet θεόπνευστος eſſet, totidem verbis profiteri ſoleat, ſe nihil quicquam docuiſſe, niſi quod in Moſe ac prophetis fundetur. Vbinam autem ſententia illa Pauli prius & clarius fundamentum habet, quam in illo oraculo Geneſ. III. 15.? Verum *diuinam* quoque eſſe illam Pauli ſententiam, & doctrinam fidei, certum eſt, quia oraculum Geneſ. III. 15. eſt ab ipſo Deo. Qualis enim eſt ſcaturigo; talis etiam eſt riuulus in ſe ſpectatus. Diuina adeo veritas ſententiae Paulinae de exiſtentia & pugna malignorum ſpirituum contra euangelium negari nequit, ſimulac diuina veritas oraculi ipſius Geneſ. III. 15. perpenditur. Hoc autem oraculum ab ipſo numine profectum eſſe, euentus eius extra omnem dubitationis aleam conſtituit. Totius huius argumenti vis ad ſenſum literalem proteuangelii

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn826237681/phys_0030
DFG

gelii, quem §. III. IV. vindicaui, redit. Si hic falli nescius est; dubitari nequit, hoc ipsum oraculum totius sequentis praedictionis de Messia & eius super Diabolo victoria fontem esse. Nam quicquid de Messia Moses, Dauid & prophetae cecinerunt; de semine mulieris dictum esse, res ipsa docet. Quicquid de inimico κατ' ἐξοχήν, per os infantum & paruulorum destruendo Dauid Psalm. VIII. cecinit: quicquid Esaias de gigante & tyranno generis humani, cui praeda sua i. e. gentes idololatricae potentissimae, earumque reges & principes per doctrinam Messiae, lucis gentium eripienda sit, praedixit Cap. XLIX: quicquid idem Esaias Cap. LXV. de serpente aliquando puluerem deuoraturo vaticinatus est, postquam scilicet gentes vocatae erant ad ecclesiam N. T; id propter nexum cum Messia & eius euangelio non potest, nisi de serpente deceptore, poenaque Genes. III. 14. 15. ei denunciata accipi. Concludo hinc, quod, quamdiu vlla fides historica, imo oculorum fides de populis Asiae, Africae & Europae, ab idololatria sua ad notitiam euangelii dudum adductis valebit i. e. quam certo prophetia tota Messiana in Iesu Nazareno & euangelio eius euentum indubium & diuinum habuit; tam certo etiam proteuangelium euentu suo clarissimo comprobatum est, quod sit à Deo, cui vni successiones temporum perspectae sunt, profectum. Ex diuina autem scaturigine cum fluxerit sententia Pauli de malignis spiritibus, euangelii hostibus; non potest non haec ipsa sententia ceu diuina veritas, & doctrina fidei reputari.

CAPVT. III.

DE

DIVINA SIMPLICITATE FONTIS ILLIVS, EX QVO SENTENTIA PAVLINA EPHES. VI. v. 12. FLVXIT, NIMIRVM ORACVLI *Geneſ. III. v. 15.*

VINDICATA CONTRA AVCTOREM LIBRI

Vernünftige Gedanken von der Natur.

§. I.

§. I. Sententia libri: Vernünftige Gedanken von der Natur, Libr. III. Cap. XII. XIII. quae huc redit: nec exiſtentiam, nec operationes angelorum & diabolorum in S. Literis vllum fundamentum habere; parcere quoque non poterat hiſtoriae Gen. III.

Non ſufficere hodie, diuinam veritatem N. T. aliquam ex diuinis ſuis V. T. fontibus illuſtrare, ſed plura requiri, experientia hodierna docet. Vt exemplum huius rei in medium afferam, in promptu eſt Vir Clar. C. G. *Fiſcherus*, qui ſub nomine: Eines Chriſtl. Gottes Freundes librum: Vernünftige Gedanken von der Natur edidit, & Libr. III. Cap. XII. vom Urſprung der falſchen Geiſterlehre bey Heyden, Juden, und Chriſten, & Cap. XIII. was die heilige Schrift von Mittelgeiſtern uns vorhalte, und offenbahre, in eam generatim diſceſſit ſententiam, Scr. S. (quoniam id ad pietatem ſufficiebat, imo vtile erat) de ſpiritibus & diabolis loqui cum vulgo pagano & iudaico, populariterque, nolle eam modos, cauſas & interiorem rerum indolem docere, ſed a phi-

philosophica earum explicatione abstrahere, ita, vt ea, quae Sacer Codex de bonis & malis angelis, eorumque rebus gestis secundum errores in orbe regnantes tradere videatur, articulos fidei constituere neutiquam possint. Imo §. CLXXIV. totidem verbis dicit, de nullis prorsus spiritibus creatis, si ab animabus hominum discedas, in S. Scr. sermonem esse, ideoque in nostra terra nullos spiritus alios, quam animas humanas inueniri. Hinc adeò mirum non est, Dn. *Fischerum* peruerse admodum etiam ad interpretandam historiam Genes. III. processisse.

§. II.

§. II. *Duplex praeconcepta opinio est, quae* Fischerum *tam audacem Scr. S. interpretem fecit.*

Violentam eiusmodi Scr. S. interpretationem *Fischerus* fiducia duplicis alicuius praeconceptae opinionis arripuit, quarum vna est historica, altera philosophica. De priore disserit §. CLXV. nimirum quod genus vitae Patriarcharum a contemplatione mundi, causarumque in eo operantium prorsus remotum fuerit, nec illi ceu aduenae auctoritatem inter potentiores gentes tantam habuerint, vt sese pro publicis veri doctoribus gerere potuissent: quodque insuper nec ad illud vocati sint, nec lucem aut patefactionem aliquam diuinam huc pertinentem acceperint. Hinc concludit V. Cl. Patriarchas, quicquid de causis efficientibus mundi, earumque effectibus intellexerint, a philosophis illorum temporum vnice didicisse. Israelitas vero, ait, doctrinam de variis angelorum diabolorumque classibus ex Aegypto in Palaestinam secum apportasse, ibi eandem occasione consuetudinis cum variis vicinis populis, qui Chaldaicae philosophiae dediti erant, adauxisse, perque idolomaniam suam in illo errore se obfirmasse, receptis insuper post captiuitatem Babylonicam Graecorum philosophorum placitis, quae maiorem partem ex Aegyptiorum, Chaldaeorum & Phoeniciorum mysteriis fluxerant:

xerant: vnde tandem Phariſaei potentiam ſpirituum ita exaggerauerint, vt Sadducaei totam illam doctrinam, quam pro aſylo ignorantiae habebant, reiicerent. De poſteriore autem, quam ſupponit, re ita agit, vt partim §. CLXIX. doctrinam S. Codicis de ſpiritibus, angelis & Diabolis, ſecundum popularem hominum ſermonem, & falſos eorum conceptus expreſſam, doceat pugnare contra contemplationem huius mundi, catenamque ſolide perceptarum veritatum, luminique naturali contradicere. Etenim *fieri non poſſe* contendit, vt praeter animas humanas, corporibus partim iunctas, partim iungendas alii ſpiritus creati exiſtant, quod illi ex nulla mundi materia facti ſint, & id genus alia, paragrapho ſequente a me commemoranda.

§. III

§. III. *Audacia hermeneutica Fiſcheri qualis generatim ſit, deſcribitur.*

Duplex haec praeconcepta opinio Virum Cl. tam audacem fecit generatim, vt adſtrueret, priſcum de ſpiritibus errorem, ideo, quod Scr. S. ſpirituum, angelorum & Diabolorum mentionem fecerit, articulum fidei fieri non poſſe: nec omnia, quae in S. Scr. exſtant, ita vera & pro diuinitus patefactis habenda eſſe, prout ad literam ſonant, aut ſecundum linguam vulgi intelligi poſſunt. Stabilem quoque aliquem ſignificatum vocabulorum: ſpiritus, angelus, Diabolus, in omnibus Scr. S. locis dari negat, quod Scr. S. ſaepe hac de re loquatur, vt alii antea locuti erant: narret ſomnia, viſionesque ſanctorum de angelis & Diabolis: fingat nonnulla laudabili conſilio: loquaturque ſecundum popularem opinionem & ſermonem, per ſimilitudines & prouerbia: aut referat etiam ſententias indoctorum hominum, mulierum, ſuperſtitioni deditorum gentilium & Iudaeorum, imo vel furore ac delirio affectorum. Imo Vir Doctus non negat tantum, ex ſomniis, viſionibus, apologis & parabolis Scr. S. dogmata

gmata de existentia & operationibus angelorum & Diabolorum demonstrari posse, sed affirmat quoque, quod ne narrationes quidem historicae Scr. S. ad id sufficiant, cum Deus in rebus ad salutem mundi non spectantibus, & *ex lumine naturae clare demonstrabilibus* vnumquemque sinat loqui, sicut cogitat, & cogitare, sicut res percipit. Vnde de ipso seruatore & Apostolis non dubitat pronunciare, quod, prout res ferebant, humanae se accommodauerint ruditati, rudique modo, passim tamen etiam sublimiore sensu, docuerint. Seruatorem quidem, quod corruptae Pharisaeorum de spiritibus doctrinae publice se non opposuerit, V. Cl. excusauit, partim quod ad officium mediatorium non pertineret, docere philosophiam, illaque doctrina sine officio mediatorio confutari, & emendari posset, partim quod seruator tritis Pharisaeorum loquendi formis puriorem aliquem conceptum coniunxerit, nec semper illi gentilium opinioni simpliciter indulserit, sed interdum hac de re secundum veritatem locutus sit, & eiusmodi opera fecerit, quae a sola Dei potentia proficisci poterant. Accommodationem autem scriptorum sacrorum similem inde excusat, quod hi nec vocati, nec illuminati fuerint ad inquirendam & confutandam vniuersalem illam tempore V. & N.T. opinionem de spiritibus. Interim V. Cl. propter accommodationem illam negat, meram veritatem vel ab omnibus vocabulis & phrasibus Scr.S. vel ab vniuersis rebus, quae circumstant, & (de rebus mundi loquitur,) quae ibi narrantur, exspectandam esse, interpretemque Scr. S., ne articulos fidei faciat, lumini naturali contradicentes, iubet, vt res accurate meditetur, & ex contemplatione huius mundi, atque catena solide perceptarum veritatum inuestiget: vtrum secundum effecta, & opera in terris obuia fieri possit, vt praeter animas humanas, corporibus vnquam iunctas aut iungendas, alii spiritus creati, ex nulla mundi materia facti, nec corpus humanum, nec potestatem se pro lubitu cum corporibus coniungendi habentes, partim ex imaginario quo-

dam extra mundum ſpatio, per viam fere infinitam ad nos celeriter tranſire, partim hic in aere, aqua ſupra, & infra terram vagari, materiam mundi, quam Deus ſolus pro ſapientia & ſanctitate ſua mutare, ſcopoque ſuo impendere decreuit; contra voluntatem Dei, & in detrimentum creaturarum adhibere, partem illius ſibimet ipſis vindicare, & quamquam forma, natura, mouendique facultate prorſus carent, cum ſuapte natura pro arbitrio coniungere poſſint? Vtrum etiam fieri poſſit, vt praui ſpiritus, in ſpatio congregati, infernum incolant, & a capite quodam, omnisque mali auctore ad nos emittantur iuſſi, vt ciuitatem Dei turbent, hominesque ad praua ducant, & a creatore ac vero domino ſuo abducant? Quo facto examine, perſpectaque impoſſibili & contradictoria huius popularis ſententiae indole, interpretem *Fiſcherus* iubet inquirere arcaniorem obſcuriorum eiusmodi Scr. S. teſtimoniorum ſenſum, & hunc vnice pro diuina veritate habere. Videmus hic adeo clare principium directiuum hermeneuticae Fiſcherianae, quod nihil aliud eſt, quam *analogia philoſophiae*. Cum enim accommodationem ad meros vulgi errores teſtimoniis & hiſtoriis Scr. S. de ſpiritibus creatis tribuerat; facile poterat poſtulare, vt Scr. S. ex philoſophia explicaretur. Hinc vt dignitatem huius principii ſui directiui ex praxi oſtenderet; §. CLXX. - CLXXII. docet, per malos & bonos ſpiritus in S. Literis nihil aliud deſignari, quam *animas vna cum humanis corporibus operantes, & ad hunc globum noſtrum pertinentes*, die mit menſchlichen Leibern zugleich würkbahre, und dieſem unſern Erdboden zugehörige Seelen. Quo canone ſemel aſſumto, Archangelus & Michael, ipſique angeli infantum Math. XVIII. a *Fiſchero* pro animabus humanis habentur: propter diuerſa officia in his terris adminiſtrata, inter animas dari putat principatus, dominatus, Cherubinos & Seraphinos: abuſum intellectus & voluntatis eſſe dicit πονηρὸν illum, qui verbum Dei diſſeminatum ſurripit: hoſtemque, qui lolium tritico miſcet: peccata Petri & Iudae

dae appellari Diabolum & Satanam putat, quod abusus naturae & concessarum animae virium Deo aduersetur: quoniam autem abusus ille in orbe ingens est; vel hinc deriuat vocabula Scr. S: imperatores mundi, deus huius mundi, itemque dominans in aere, quoniam scilicet in aere multum prauitatis conspicitur & auditur. Taedet fere plura eiusmodi hermeneuticae specimina recensere, qualia sunt: quando abusus idem dicitur leo ille, qui obambulat, & per prauas doctrinas atque persecutiones deuorat: quando abusus intellectus & voluntatis est, quem Christus iudicauit, quod scilicet ad regnum patris sui non pertineat, & quocum seruator, ceu aeterna veritas nihil commercii habet: vnde, pergit Vir doctus, cum ille hunc inuaderet, melancholicisque cogitationibus, & humanis somniis tentaret; repulsus ab eo, & dominus cogitationibus & propensionibus melioribus atque diuinis recreatus est. Vt de obsessionibus corporum diabolicis, quos Vir D. negat, nihil addam.

§. IV.

§. IV. *Audacia hermeneutica* Fischeri *specialim etiam diuinam simplicitatem historiae Genes. III. vellicauit.*

Ex hactenus descripta hermeneutica Scripturae S. Fischeriana sponte sequitur, vt *Fischerus* simplicitatem diuinam etiam historiae, quae Genes. III, legitur de serpente primorum parentum nostrorum deceptore, atque adeo etiam ipsius proteuangelii v. 15. obuii intactam relinquere non potuerit. Quod per simplicitatem diuinam intelligam id, quod ab omni humanorum errorum figmentorumque contagio remotum est, iam tum Cap. II. indicaui. At hanc simplicitatem diuinam Vir D. eripere voluit etiam historiae Genes. III. vbi eam pro commento quodam laudabili consilio facto l. c. Cap. XIII. §. CLXVIII. habet: & vbi Cap. XIII. §. CLXX. astutum serpentem, qui in hortum Dei, & genus humanum ingressus est, nihil aliud, quam abusum intellectus & voluntatis fuisse autumat. Hunc serpentem, ait, initio mu-

lierem, ψυχὴν, animam sensitiuam, deinde virum i. e. ex more loquendi veterum, νοῦν, animam rationalem, argumentis aliquam speciem habentibus, & cupiditate sensuum adduxisse, vt fidem Deo denegarent, & plura peccata committerent, animam morti spirituali tradentia. Atque, vt ostenderet V. Cl. se figmentum suum, quod Genes. III. v. 1. quaerit, ad totum illud caput, adeoque etiam ad proteuangelium v. 15. extendere, affirmat, eundem abusum intellectus & voluntatis esse homicidam illum ab initio, patremque mendaciorum, qui in veritate non perstiterit. Quocum autem figmento non posse consistere simplicitatem diuinam historiae Genes. III. & proteuangelii ibid. v. 15. certissimum est, nisi quis forte nasum cereum ex Scriptura S., facere, eique sensum contra communes interpetrandi regulas pugnantem adscribere velit. Obseruo hoc, nequis existimet, *Fischerum* simplicitatem diuinam huius historiae, etsi in figmentum conuersae, non vellicasse, dum arcaniorem quendam sensum, & quidem diuinum in illo figmento quaesiuit. Inane enim hoc effugium est, quia sensus Scr. S., qui pugnat contra communes leges linguarum, & artis hermeneuticae, quas communis ratio stabiliuit, non est diuinus sensus. Dum itaque secundum *Fischerum* historia Genes. III. est figmentum quoddam, non historia vera; dumque non spiritus quidam creatus, sed Eua se ipsam decepit, & homicida ille ab initio non Diabolus, sed ipsa protoplastorum anima fuit; Vir Cl. sane simplicitatem diuinam huic historiae non nisi imaginariam reliquit.

§. V.

§. V. *Vanitas praeconceptae opinionis historicae, quae*

Priusquam autem vanitatem audaciae F. hermeneuticae contra simplicitatem historiae Genes. III. solide ostendere possum; vanitas vtriusque praeconceptae opinionis §. II. recensitae, vanitasque cum principii directiui, tum praxeos hermeneuticae

meneuticae F. ſecundum illud, a me euincenda eſt. Duplex erat praeconcepta opinio Fiſcheriana de ſpiritibus creatis, vna hiſtorica, altera philoſophica. Praeconcepta opinio hiſtorica, quam *Fiſcherus* de angelis & Diabolis generatim fouet, (vti §. II. oſtenſum eſt) huc redit, ſententiam de exiſtentia creatorum ſpirituum non a patefactione quadam Patriarchis diuinitus facta, ſed a mero errore & ignorantia Chaldaeorum philoſophorum profectam, eamque a Patriarchis, Iſraelitis & Iudaeis vna cum placitis Aegyptiorum, Phoeniciorum & Graecorum omni tempore aſſeruatam eſſe. Verum obſeruo, partim primam patefactamque ſcientiam de angelis & ſpiritibus creatis Patriarchis inaniter denegari, partim inuentionem eorum philoſophis Chaldaeorum inaniter adſcribi. Audiamus Viri docti argumenta! Genus, inquit, vitae patriarchalis a contemplatione mundi, & cauſarum in eo operantium remotum erat, Patriarchaeque ceu aduenae auctoritatem publice docendi non habuerunt. Hinc concludit, originem doctrinae de exiſtentia ſpirituum creatorum a Patriarchis proficiſci non potuiſſe. Quis vero hic non peruidet paralogiſmum, cum Patriarchae exiſtentiam ſpirituum alia via, quam per Philoſophiam, & citra auctoritatem publice docendi, cognoſcere potuerint? Argumentatur V. Cl. porro: quicquid Patriarchae de cauſis efficientibus mundi intellexerunt; id a philoſophis illorum temporum vnice didicerunt. Sed quis dixit Viro Cl. partim extitiſſe tum temporis philoſophos, partim Patriarchas diſcipulos eorum fuiſſe? Affirmat quidem, philoſophos primos in Chaldaea circa tempus turris Babylonicae floruiſſe. Probationis loco affert, quod Moſes & Ioſephus in Aegypto ſapientiam didicerint: quod etiam ex *Stanleio* pateſcat, Zoroaſtrem de naturis differere incepiſſe, omnesque cauſas efficientes, ceu naturas triplicis generis deſcripſiſſe. Ecquis autem propter has binas rationes induci ſe patietur, vt credat, partim tempore turris Babylonicae in Chaldaea fuiſſe philoſophos, partim Patriar-

Fiſcherum tam audacem Scr. S. interpretem fecit, demonſtratur.

triarchas iis vsos esse praeceptoribus? Hinc sapiente & christiano homine dignum est, statuere, Patriarchas e. g. Abrahamum non ab illis putatitiis philosophis, sed ex apparitionibus quibusdam angelorum visibilibus existentiam illorum didicisse. Idololatras quidem tempore Abrahami extitisse, nemo dubitat; sed philosophos de naturis differentes tempore turris Babylonicae floruisse, frustra dicitur. Interim si vel maxime tales fuissent; tamen notitiam Abrahami de angelis bonis malisque aliunde fluxisse, tamdiu certum est, donec V. D. Gen. XVIII. XIX. & Cap. III. feliciori hermeneutica conciliabit suae hypothesi, quam fecit. Nimis secure itaq; Vir Cl. *Anton. Dalenium* secutus est, qui pariter Chaldaeis opinionem de operationibus saltem spirituum in mundo, ceu inuentoribus adscripsit. Recte contra hunc *Ioan. Clericus* Bibl. Sel. T. III. & IV. monuit, probare illum minime potuisse, quod Chaldaei doctrinam de creatis spiritibus prius habuerint, quam Hebraei. Ipse quoque in Libro de Angelis Cap. I. §. VI. ostendi, originem *veritatis* diuinae & *superstitionis* humanae de angelis & spiritibus a *Dalenio* aperte confundi, eumque indicia vetustissimae Hebraeorum notitiae de angelis apud Mosen obuia parum candide postposuisse recentioribus oraculis Chaldaicis. Neque tantum contra *Dalenium* haec obseruatio valet, sed contra *Fischerum* etiam, non obstante hermeneutica illius in peruertendis narrationibus Mosis de apparitionibus angelorum audacissima, quam falsam esse in sequentibus docebo. Interim *Fischerus* grauius, quam *Dalenius* peccauit, dum ille superstitionem Chaldaeorum philosophorum de ipsa etiam existentia spirituum creatorum omni quouis fundamento diuinae cuiusdam traditionis antegressae destitutam fuisse putat. Verum traditionis alicuius de spiritibus & angelis vestigia penes vetustissimas gentes inueniri, ex vno *Homero* patet. Quae traditio si vera fuit; sequetur, vt prisca de spiritibus creatis philosophia non omni prorsus fundamento vero careat. At nonnihil verae traditionis opinio-

ni

ni priſcarum gentium de exiſtentia ſpirituum ſubeſſe, illuſtraui Libr. de Angelis Cap. I. §. X. XI. XII. XIII. prouocans ad incredibilem conuenientiam eorum, quae Hebraeorum & Homeri, aliorumque gentilium monumenta de ſpiritibus & angelis produnt. Conuenientia illa tanta eſt, vt dubitare nefas ſit, vtrinque de iisdem prorſus apparitionibus & operationibus ſpirituum creatorum ſermonem eſſe. Quo autem conceſſo, ſequitur, vt narratio *Homeri* aliorumque veterum nihil aliud ſit, quam mutilata & fabulis inuoluta traditio hiſtoriae ſacrae patriarchalis, quae in placita gentilium philoſophorum influxum habuerit; ſequitur quoque, precario a *Fiſchero* doceri, doctrinam Chaldaeorum de ſpiritibus creatis omni ex parte erroneam fuiſſe. Quae autem cum ita ſint; mera praeconcepta quaedam opinio, & error hiſtoricus fuit, qui audaciam hermeneuticam *Fiſcheri*, in tot Scr. S. teſtimoniis ad ſpiritus creatos pertinentibus peruertendis armauit.

§. VI.

§. VI. *Vanitas praeconceptae opinionis philoſophicae, quae Fiſcherum tam audacem Scr. S. interpretem fecit.*

Altera autem praeconcepta opinio, quae audaciam illam *Fiſcheri* hermeneuticam ſuſtentauit, eſt praeconcepta quaedam opinio philoſophica. Vidimus enim §. II, & III. Dn. *Fiſcherum* affirmare, *verba Scr. S. exiſtentiam ſpirituum creatorum in hoc mundo innuentia lumini naturae contradicere, & hactenus falſa eſſe, ſenſumque eorum ex contemplatione mundi, catenaque ſolide perceptarum veritatum definiri debere.* Qualis quidem generatim pretii ſit philoſophia Fiſcheriana, penes philoſophos iudicium eſto. Verum enim vero vbi haec philoſophia Virum doctum tam audacem fecit, vt ſine haeſitatione pronunciaret, Scr. S. complecti falſos & lumini naturali contradicentes conceptus humanos de ſpiritibus, angelis & Diabolis, & vbi inter tot alia Script. S. loca ipſum Geneſ. Cap. III. violentiſſime tractauit; hoc vnum philoſophiae illius hic ob-

obiicio, quod circa ipsam de spiritibus creatis doctrinam aliquid supponat, quod nunquam demonstrabitur. Totidem quippe verbis Vir D. affirmat Cap. XII. §. CLXIX. *sententiam de spiritibus ad illas res pertinere, quae ex lumine naturae clare demonstrari possint*, ideoque Deum in S. Literis vnumquemque loqui voluisse, vti cogitabat, & cogitare, vti res percipiebat. Si recte capio Viri mentem, existimat, Deum citra periculum veritati metuendum permisisse, vt scriptores sacri secundum falsos suos de spiritibus conceptus loquerentur & scriberent, quoniam ex rationis lumine clare demonstrari potest, existentiam eiusmodi spirituum creatorum nullam & impossibilem esse. At vnde *Fischerus* hoc ipsum demonstravit? Primum quidem fontem erroris de existentia & operationibus spirituum *in peruerso de essentia spiritûs conceptu* quaerit Cap. XII. §. CLXVI. Causam quoque, quare praeter animas corporibus iunctas, aut iungendas nulli alii spiritus creati existere possint, Cap. XII. §. CLXIX. hanc prodit, *quod illi ex nulla mundi materia facti sint, nec corpus humanum, nec potestatem se corporibus pro lubitu coniungendi habeant, nec ex imaginario quodam extra mundum spatio ad nos transire, mundumque contra voluntatem diuinam turbare, nec partem materiae mundi sibi vindicare, cumque natura sua pro arbitrio copulare possint.* Verum haec omnia rem nondum conficiunt. Nam

1. quo iure communior ille de essentia spiritus conceptus, quo ille ens intellectu, voluntate & vi extra se operandi praeditum esse creditur, peruersus appellabitur? Quidquid de placitis philosophicis Viri docti sit; lumen saltem naturae illum conceptum non damnat. Si enim Deus, infinitus ille spiritus ad extra operatur; quare spiritus finiti operatio extra se fieri prorsus nequeat? Si e contrario spiritus finitus per naturam suam extra se operari nequiret; quomodo Deus id posset? Quicquid enim

enim ex ipsa Dei ceu spiritus natura fluit; id infinito non minus, quam finito spiritui conuenit.

2. Ratio concludendi contra existentiam spirituum creatorum praeter animas humanas, quam Vir Cl. inde duxit, quod illi spiritus ex nulla mundi materia facti sint, mihi non probatur. An enim sequitur, vt simpliciter existere nequeant spiritus creati praeter animas humanas alii, quod illi ex nulla mundi materia facti sint? Materiam mundi Vir D. sic descripsit: Das Weltzeug bestehet aus unendlichen einfachen Grund-Ursachen, so sich mit keiner Natur vereinigen kan, aber wohl angethan werden. Supponit igitur *Fischerus*, animas humanas ex eiusmodi monadibus, omnem cum natura aliqua coniunctionem simpliciter respuentibus factas esse. At enim vero vnde idonee probabit, vel animas humanas esse eiusmodi monades, quae cum nulla natura coniungi possint? Dicet forte, propter naturam simplicissimam nihil a monadibus demi posse, quia sunt indiuisibiles; nihil illis addi, quia hoc vel substantia, vel accidens foret; cum tamen substantia addi nequeat, nam tunc non esset vna substantia, sed duae: nec accidens addi possit, quia hoc ex vna substantia in alteram migrare non potest. Verum dudum obseruatum est, hoc argumentum plus probare, quam ipsi volunt, qui illud afferunt. Si enim solidum esset; probaret, ne Deum quidem operari posse in animas creatas. Ratio est manifesta. Si enim haec est natura animae, vt per essentialem eius simplicitatem nulla exterius operatio in eam inferri possit, nec in Dei potestate erit, operari in animam, cum Deus non possit mutare rerum essentias. Id igitur, de quo adhuc quaeritur, probationis loco afferri non debuerat.

3. Ratio Fischeriana sequens contra operationes spirituum

creatorum, scilicet quod illi corpus humanum non habeant; non plus probat, quam quod operationes spirituum corporibus destitutorum in & per corpus alienum à nobis capi nequeant. Tritum quidem est sermone prouerbium: tangere aut tangi, nisi corpus, nulla potest res; sed non per omnia verum. *Infinitus* enim spiritus creator, qui omnia mundi corpora in eum ordinem, quo nunc sunt, disposuit, per omnipotentem voluntatem suam corpora mundi à se creata maxime proprie vereque tetigit. Imo si coniunctio *finiti* etiam spiritus cum corpore prorsus nullo modo fieri posset; mirarer, Deum disparatas eiusmodi & insociabiles substantias uno systemate copulasse. Nihil itaque supereſt, quàm modum operationis spirituum creatorum in corpus capi non posse, quoniam ipsi corpus non habent. Existimo autem, inde non maius ius negandi, quod illae spirituum operationes fieri possint, fluere, quam quale caecus quidam natus habet negandi, quod colores in orbe dentur, quos nulla ratione capere potest. Hinc placent mihi verba Anonymi in opusculo germanico, quod inscribitur: Einige Anmerkungen über die Schrift: Vernünfftige Gedanken von dem Gebrauch der strengen Lehrart in der Theologie p. 30. die neuere Philosophie lehret das Dasein der Körper aus einfachen Dingen. Wenn sich davon nun die Möglichkeit, nach des Verfassers eigenen Geständniß, nicht begreiffen lässet; warum glaubet man es denn? und wenn man es, jener Unbegreiflichkeit ohngeachtet, glaubet; warum leugnet man die Würkung der Geister in die Körper? Largior quidem, non omnes illas res credendas esse, quod actu sint, quarum existentia possibilis est; at propter solam etiam existentiam spirituum creatorum possibilem nemo sapiens homo credit, eos dari, sed propter auctoritatem testimoniorum omni exceptione maiorum.

4. In-

4. Instat *Fischerus*: spiritus nec potestatem cum corporibus se pro lubitu coniungendi habent. *Ex.* si voces: *pro lubitu* id significant, quod: *pro libidine sua*; nemo sanus Christianus Viro docto contradicet. Quod verò Deus aliquando permittere queat, vt spiritus corpore destituti cum corporibus se coniungant, id nec sapientiae diuinae, nec indoli mundi, quae non est mera machina, contrariatur.

5. *Fischerus* capere nequit, vnde spiritus ad nos tam cito venire possint? an autem haec ignorantia opponi potest testimoniis Scr. S. claris de celeritate angelorum e. g. Dan. IX. 21.? Sane vix illa opponi potest testimoniis hominum, qui de incredibili famae interdum velocitate narrarunt talia, quae sine daemonibns internuntiis vix explicari posse videntur. Pertinent huc, quae *Plutarchus* in vita Pauli Aemilii p. 547. *Valerius Max.* L. I. de miraculis, *Dionysius Halicarnass.* L. VI. Antiqu. rom. p. 166. & *Iustinus* L. XX. histor. de victoriis vel eadem die, qua in altero remotoque regno pugnatum erat, domi nuntiatis referunt. Vnde illud *Tertulliani* in Apol: omnis spiritus ales. Addo hisce, quod Vir doctus sine causa sollicitus sit de longitudine fere infinita viae, cui se committere Diaboli debeant, ad globum nostrum profecturi, cum sacer codex clare testetur, desertores reprobosque angelos οἰκητήρια sua reliquisse, & hinc inde nunc vagari & obambulare.

6. Quod *Fischerus* de Diabolis refert, quasi mundum contra voluntatem Dei turbent, partemque materiae mundi sibi vindicent, id ita simpliciter non docent Christiani, quotquot Scr. S. sequuntur. Etsi enim Scr. S. Diabolum appellat principem & deum mundi; non tamen ita eum, nisi ceu oppositum debilioribus homini-

bus appellat, quia tota Scr. S. vna cum Iobo teſtatur, & deceptorem generis humani, & deceptos homines omnipotentiae numinis ſubeſſe. Quicquid etiam damni Diabolus, iuſte permittente Deo, aut propter antecedentem inuictam hominum malitiam 2. Timoth. II. 26. aut alias cauſas hominibus infert; diſplicet in ſe quidem Deo, ſed violenter impedire non vult: quod Diaboli etiam nullam partem materiae mundi ita ſibi vindicare poſſint, vt operatio eorum in illam ſit nullis limitibus circumſcripta; ex hiſtoria Iobi Cap. I. II. & Math. VIII. apparet. Quam infirma igitur haec omnia ſunt; tam inane etiam eſſe puto epinicium illud, quod Vir Cl. philoſophematibus ſuis ſubiecit, & inde repetiit, quod in hac tanta noſtri ſeculi luce omnes Diabolorum operationes dudum euanuerint. Nemo quidem philoſophiae merita in multiplice illa priſca pagana & pontificia ſuperſtitione de malorum ſpirituum in mundo operationibus magis magisque profligata negabit, (quam etiam in ipſis emendatorum Sacrorum initiis fortiter iam tum impugnatam eſſe, vel vnius *Ioannis Riuii* Liber de Vetere Superſtitione docet) ſed omnem experientiam de ipſis operationibus diabolicis ne hiſtoriae quidem mundi, multo minus ſacrae, philoſophia vnquam confutauit. Fruſtra e. g. *Dalenium* (quoniam citra & contra hiſtoriae fidem id aperte fecit) omnia quaeuis oracula Diabolo eripere voluiſſe, dudum *Clericus* in Bibl. Sel. *Lavourius*, pluresque ſuperſtitioni parum dediti viri agnouerunt. Quam moleſta etiam res *Webſtero* vniuerſalis Magiae negatio fuerit, ex *ſpiritu aſtrali*, quem temere finxit, patet, vtpote cui id omne adſcripſit, cuius certitudinem negare non poterat, nec Diabolo tamen relinquere volebat. Taceo alia. Multo autem magis fruſtra philoſophia fidem hiſtoriae ſacrae de exiſtentia & operationibus ſpirituum creatorum ſuſpectam faciet.

faciet. Scriptura enim S. auctoritatem ab omni regula alia independentem habet, quoniam ab eodem auctore est, qui ipsum lumen rationis dedit. Quas etiam haec Scriptura operationes Diabolo adscripsit, earum hodie & olim in orbe existentia nulla ratione idonea negabitur. Inprimis τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας, technasque Diaboli contra coelestia euangelii bona sacer codex a capite ad calcem patefecit. Huiusmodi quidem operationes diabolicas in mundo hodierna πνευματοφοβίαν (vti *Io. Clericus* adaemonismum nostri seculi appellauit) adeo non imminuit, vt eas potius tristi ratione augeat. Satyrico quidem calamo, sed animo forte non improbo hoc declarat autor opusculi anglicani: *the Devil's funeral Sermon* p. 24. sing and be glad, all ye whores, bauds, rakes, pimps, thieves, street-robbers and pickpockets. Reioice all ye traitors, murderers, whoremongers, adulterers and Sodomites. The Deuil's dead, the Devil's dead, killed in fair flight by the gallant hands of the freethinkers. Vndenam enim est, quod, licet nullo post Apostolos tempore maior lux doctrinae euangelicae in ecclesia fuerit, quam hodie, nullo tamen, quam hoc nostro, tempore maior neglectus aut contemtus eiusdem conspiciatur? Causae quidem huius rei in ipsis hominibus inesse variae possunt; sed principem aliquam causam non in imbecillis hominibus, sed malignis spiritibus quaerendam esse, cum sacro codice res ipsa videtur testari. Vbi enim cum hoc hodierno euangelii neglectu vel ipse naturalis sensus religionis, amor honesti & pudor tot homines deserit, hique vna cum vi naturalis conscientiae ipsum stimulum sese conseruandi & σοφγὴν non raro prorsus exuere videntur; vel sibi relicta ratio suspicatur, dari externum quendam potentioremque prauitatis humanae rectorem. Non contemnenda hic docet *Arnoldus Wesenfeldus* im Verſuch, wie die Sittenlehre

oder Morale unter den Christen zu verbessern, p. 67. Praeterea sacer codex testatur, eo tempore, quo filius Dei in orbem venerat, vt opera Satanae destrueret, accidisse, vt Christus visibili ratione à Diabolo tentaretur, vtque Diaboli ex corporibus nonnullorum hominum, quae permittente tunc Deo ingressi erant, per Christum & Apostolos in nomine Christi eiicerentur. Intolerabili quidem cum audacia recentiores quidam haec testimonia sacri codicis peruertere voluerunt, & hanc quidem inprimis ob causam, quod eiusmodi obsessiones corporum diabolicae patrum nostrorum tempore & hodie nullae dentur. Equidem hoc ipsum non dixerim. Interim si ita esset; tamen clarissima sacri codicis oracula huc pertinentia propter inopiam experientiae hodiernae de obsessionibus corporum diabolicis violenter detorquenda non erant. Ipse enim sacer codex passim indicauit, non eandem Diabolis potestatem a Deo omni tempore relinqui, sed eos, qui ἐν αἰῶνι τούτῳ efficaciter operati erant, mox instar fulguris de coelo lapsuros, & è coelo ecclesiae eiiciendos esse. Denique quicquid etiam Scriptura S. de efficacitate Diaboli in mundo vere testata est, nec forte dubiae admodum interpretationis est; id quidem nec propter experientiae hodiernae inopiam, si vel maxime ea esset, nec propter sapientiae nostrae praestantiam in suspicionem vanitatis adduci debet. Priori enim argumento obstant rationes iam tum allatae. Ad posterius quod attinet, concedere adaemonistis prius nequeo, quod omnes quaeuis olim creditae Diabolorum in orbe operationes, ceu merae fraudes aut aegrotantis phantasiae somnia, vnice per philosophiam nostram hodie cessent, quam ostendant, quare eiusmodi fraudes interdum iam olim sine omni efficacia fuerint apud homines vel superstitioni deditissimos? Respicio id, quod *Plinius* hist. natur. Lib. XXX. C. II. refert

refert. Nero, quem *Plinius* magicis artibus non minus, quam muſicae longe deditiſſimum fuiſſe teſtatur, quique teſte *Suetonio* C. XXXIV. anxie cogitabat de anima matris à ſe interfectae per magiam euocanda & placanda, plane tamen nullum effectum magiae cernere potuit. Immenſum, inquit *Plinius*, & indubitatum exemplum eſt falſae artis. Sit ita; attamen Neronis ἀδεισιδαιμονία, quam non habebat, hanc artem falſitatis non damnauit, ſed alia neſcio quae cauſa.

§. VII.

§. VII. Vanitas principii hermeneutici directivi penes Fiſcherum, ſecundum quod audacem ſuam hermeneuticam ſacram exercuit.

Neque minus vanum eſt principium hermeneuticum *Fiſcheri* directiuum, quam binae ejusdem praeconceptae opiniones hactenus examinatae. Principium illud directiuum hermeneuticae Fiſcherianae eſt (vti §. III. vidimus) *analogia philoſophiae*, cum videlicet hac ſtante analogia quaedam Scripturae propter monſtrum illud accommodationis ad erroneas vulgi conceptus, quale Scr. S. Vir doctus imputavit, interpretationem Scr. S. dirigere non poſſit. Nihil Viro docto a me imputari, quod a mente eius alienum ſit, §. III. docet. Expreſſe enim dicit, articulum aliquem fidei ex priſco Chaldaico de exiſtentia ſpirituum errore idpropter conſici non poſſe, quod S. Codex ſpirituum illorum chaldaicorum mentionem fecerit: ſtabilem ſenſum vocabulorum: ſpiritus, angelus, Diabolus, in S. Literis non ineſſe: ſacras Literas de bonis & malis ſpiritibus nimis obſcure, ambigue, & ſibi ipſi non minus, quam philoſophiae repugnnter loqui: loqui enim eas de ſpiritibus aut ſecundum popularem opinionem, & per ſimilitudines atque prouerbia, aut alia occaſione, dum ſanctorum hominum ſomnia de angelis, viſiones, figmentaque eorum, itemque indoctorum hominum, mulierum, ſuperſtitioſorum gentilium Judaeorumque, imo delirantium ſermones, ex praeiudicata opinione erronea fluentes referat: qualem accommodationem, eamque ad ipſas *narrationes Scr.*

S. hi-

S. historicas extensam, in seruatore & Apostolis excusabilem esse, nobis persuadere conatur. Hinc quippe ab interprete suo requirit, vt priusquam sensum sententiae aut historiae Scr. S. de rebus huius mundi determinet, ante omnia rem ipsam accurate meditetur, & ex contemplatione mundi catenaque solide perceptarum veritatum inuestiget, vtrum secundum effecta & opera in terris obuia fieri possit, vt spiritus creati praeter animas hominum existant & operentur. Cumque id, *Fischero* opinante, fieri non possit, interpretem iubet arcaniorem sensum obscuriorum illorum Scr. S. locorum inquirere, & hunc vnice pro diuina veritate habere. Verum enim vero hanc analogiam philosophiae non nisi inane & in S. Literas iniurium principium hermeneuticae sacrae directiuum esse, paucis nunc ostendam. Equidem libenter concedo, vocabula: angelus, Diabolusque, non semper in Scr. S. spiritum aliquem incorporeum, sed homines etiam aliaque aliquando denotare; sed nego & pernego, quod idpropter idoneus interpres stabilem sensum vocabulorum in Scr. S. inuenire non possit. Quod Scr. S. de spiritibus & sibi ipsi, & lumini naturae repugnanter locuta sit; precario dicitur, vti §. VI. iam tum ex parte ostendi. Quod Scr. S. aliquando enarret, quid sancti de angelis somniauerint; quidque per visionem de angelis perceperint; quidue alii homines de iisdem interdum parum recte forte commemorauerint; id hermeneutico *Fischeri* principio non patrocinatur. Etiamsi enim aliquis somniabit aliquid; tamen res ipsa, si vera est, idpropter non redditur inanis. Neque angeli in visione mera exhibiti efficiunt, vt plane non dentur veri angeli extra illam visionem. Ex eo, quod Scr. S. ex aliena hypothesi falsa in medium affert; nemo sanus homo articulum fidei faciet. Figmenta Scr. S. de angelis *Fischerus* vrget, sed quam infeliciter in hanc classem retulerit historiam Genes. III. §. IX. ostendetur. Quomodo etiam ex metaphoris, similitudinibus, & prouerbiis Scr. S. *Fischerus* demonstrabit, ambiguum

biguum Scr. S. ſenſum inde naſci, cum leges linguarum & logicae non minus certum ſenſum in figurato, quam proprio ſermone reperiri doceant? Neque enim metaphorica oratio, & inanis ingenii luſus, ſunt vnum idemque. Accommodationem quidem Scr. S. ad errores e. g. quando daemoniacorum mentio fit, audaciſſime Vir D. adſtruit, ſed ſine argumentis. Hanc quidem accommodationem Chriſto & Apoſtolis non indignam fuiſſe vult, quia illi ad docendam philoſophiam non venerant, & ſi ſecundum veritatem hic loqui voluiſſent; in diſcrimen vitae deuenire poterant. An vero aeterna veritas, etſi ad docendam philoſophiam in orbem non venerat, nec id propter etiam Apoſtolos miſerat, *tam conſtanter & perpetuo* ſecundum putidiſſimos vulgi errores loqui credatur? An cruci affixa veritas, & Apoſtoli, mortem propter veritatem neutiquam recuſantes, ſeſe tam vniuerſali macula conſpurcaſſent, vt vel in ipſo argumento *hiſtorico* mentiri maluerint, quam ineptiſſimos vulgi errores deſerere? Fac, Scr. S. in rebus naturalibus non ſemper ex rei natura, ſed interdum etiam ſecundum apparentiam loqui; tamen nunquam mentitur, ſed id, quod optice ſaltem veriſſimum eſt, loquitur. Verum, cum nulla accommodationis Fiſcherianae, ſententiis & hiſtoriis S. Codicis tributae veſtigia in ipſa S: Scr. inueniri queant; mero, ſed intempeſtiuo amori philoſophiae Fiſcheriano haec fabula adſcribenda eſt. Hactenus de inani indole principii hermeneutici directiui Fiſcheriani, quod eſt *analogia philoſophiae!* Supereſt, vt ſummam etiam eius iniuriam in S. Literas commonſtrem. Crepat quidem Vir D. ſublimiorem aliquem & arcaniorem Scr. S. ſenſum, veritatemque de ſpiritibus aliquam in S. Literis interdum ſtabiliri dicit; ſed qualem ipſe ibi detegit, ea nomen ſublimioris ſenſus & veritatis non meretur, vti ex paragrapho ſequente patebit. Quin principium hermeneuticum directiuum *Fiſcherus* tale commendauit, quod Scripturam S. ſenſu *fixo* ſuo & *auctoritate ſua ab alia regula independente* privat,

vat, adeoque eam ludibrio exponit. Si enim de sensu Scr. S., quando ea de spiritibus loquitur, nihil quicquam prius statuendum est, quam constat, quod ille philosophiae nostrae conueniat; de sensu fixo Scr. S. actum est (*). Si quoque ea, quae Scr. S. clare dicit, & forte per philosophiam aliquam falsi-

(*) Iniquitas huius rei tam euidens est, quam clare patet, *Fischerum*, dum S. Scripturam ex analogia philosophiae, siue ex contemplatione mundi, & catena solide perceptarum veritatum interpretari audet; non amplius Scr. S., sed suam ipsius philosophiam interpretari. Rationis quidem officium vtique est, de vero Scr. S. sensu iudicium ferre; at ratio non aliter de sensu Scr., quam omnium aliorum librorum iudicare debet. Ratio quippe nos explicare docet veram alterius cogitationem, & id, quod alter voluit, vt a nobis perciperetur, siue illud nostris ideis congruat, siue repugnet: siue verum sit, siue falsum. Ratio enim ipsas linguas praescripsit, signa stabiliendo, ea sibi inuicem iungendo, discursum faciendo, omnesque grammaticae regulas suppeditando. Rationis igitur officium est, vt, quoties prolixior sermo datur, sensum eius figat, quia ratio omnes voces examinat, ponderat, & inuicem comparat. Verum vbi homines, illaesis fixis illis legibus, quibus ratio linguas humanas subiecit, lingua aliqua vti possunt ad cogitationes exprimendas, ideis rationis contrarias, sequitur, vt hae ipsae leges, non vero principia rationis, tanquam claues adhiberi debeant ad interpretationem cogitationum alienarum, cuiuscunque indolis illae fuerint: sequitur etiam, vt adminicula, quibus ratio vtitur ad determinandum verum sensum loquentis aut scribentis, differant ab iis, quibus ratio vtitur in veritate eius, quod dicitur, diiudicanda. Ratio quidem in toto illo examine sine dubio praesidet; at vsus rationis eò procedere non debet, vt propriis philosophematibus nostris vtamur, ceu claue hermeneutica libri alicuius, eo consilio, vt qualemcunque sensum rationi aut philosophiae conuenientem, illi conciliemus. Ingens enim discrimen est inter *verum sensum* scriptoris, & *veritatem sensus* apud eum, quae posterior in scriptis hominum non raro desideratur. Postquam etiam Deus in verbo suo lingua hominum vsus est, ratio nostra, si legitima patefactionis diuinae interpres esse vult, non aliter inue-

stiga-

falsitatis accusantur, non pro veris habenda sunt, sed arcanior quidam sensus ex philosophia in Scr. S. transferendus, & hic vnice pro diuino sensu habendus est; auctoritas Scr. S. erit mere dependens, adeoque non diuina. (**).

§. VIII.

stigationem veri sensus Scr. S. instituere debet. Nunquam quidem Scr. S. vere communibus rationis principiis contradicit, & nunquam falsa docet; at etiamsi doctrina aliqua Scr. S. placitis philosophorum contradicere videbitur; hermeneutica sana iubet hanc pugnam candide profiteri, non vero interpretationem Scr. S. ad analogiam philosophiae instituere.

(**) Iniquitas haec quoque in oculos incurrit, quia auctoritas Scr. S. diuina non nisi independens ab omni alia regula esse potest. Concessa videlicet necessitate specialis patefactionis diuinae; concedatur oportet, vt illa sit regula per se. Equidem probe scio, dari veritates quasdam naturaliter cognitas, quae bases sunt omnis religionis, ipsiusque patefactae; at scio pariter, religionem patefactam nihilominus distinctum a ratione & lumine naturae principium, nimirum Scr. S. habere: hanc ipsam quoque independentem ab omni alia regula auctoritatem necessario sibi vindicare, quia ab eodem Deo profecta est, qui rationem homini indidit. Diuersae sunt hae diuinae voluntatis patefactiones, quarum posterior supplet prioris inopiam, quae ex tristi generis humani catastrophe per primorum parentum lapsum nata est. At vtraeque tamen diuino sigillo munitae. Patefactio quidem diuina S. Codicis lumen rationis saepe supponit; separata tamen & independente manente patefactionis auctoritate. Haec auctoritatem suam immediate a Deo habet, qui vtrumque lumen homini concessit. Sicut etiam Scr. S., quatenus scripto consignata est, caracteres complectitur, vnde intelligi potest, verusque eius sensus stabiliri (id enim nisi esset; Scr. S. nullius vsus esset, & auctor eius scopum suum supplendi luminis naturae inopiam per eam assequi non potuisset;) ita Scr. S. quoque in se ipsa non ambiguos caracteres coelestis originis suae habet, qui ei plenariam auctoritatem super intellectu humano conciliant. Scr. S., etiamsi communibus rationis principiis nihil quicquam derogat, & nunquam iis vere contradicit; tamen multa noua patefacit, multaque aliqualiter cognita

§. VIII.

Vanitas praxeos hermeneuticae Fischerianae generatim demonstratur.

Denique etiam vana est praxis hermeneuticae Fischerianae, secundum illud principium hermeneuticum instituta. Specimina illius praxeos §. III. dedi, quae ita comparata sunt, vt signum falsitatis suae in fronte gerant, & ipse dubitem, vtrum Vir Cl. in fine §. LXXII. serio scripserit: Wer erkennet nicht hieraus einen wundervollen, und lehrreichen Zusammenhang geheimer und verborgener Warheiten. Ad vanitatem tamen praxeos illius hermeneuticae demonstrandam hic vnice obseruo, quod, etsi Vir doctus canonem suum hermeneuticum primarium, *quo per bonos & malos angelos in Scr. S. nihil aliud intelligi contendit, quam animas vnà cum humanis corporibus operantes, & ad hunc globum nostrum pertinentes*, ad innumera Scr. S. loca de spiritibus misere torquenda adhibuerit, tamen ille nonnulla Scr. loca de iisdem spiritibus intacta reliquerit. Non enim fortuito, sed consilio omissa esse illa loca; ipsa

gnita illustrat & confirmat, ideoque per proprios diuinae originis suae caracteres auctoritatem ab omni regula independentem habere debet. Quotiescunque imperans aliquis nouam, aut posteriorem legem promulgat, haec auctoritatem suam habet non à priore lege, sed ab auctoritate imperantis, qui vtriusque auctor est: nec ex lege priore est, si posterior restringitur, sed ipsa lex posterior se explicat & obligat alios. Hermeneutica autem *Fischeri* sacra in doctrinam Scr. S. de spiritibus creatis tam iniqua est, vt partim eam pro articulo fidei habere nolit, ipsique crassissimos errores imputet (quos philosophia eius saltem pro talibus habet) partim arcaniorem quendam huius doctrinae sensum, quem philosophia sola inuenerat, pro diuina vnice veritate habendum esse contendat. Ita quippe philosophia sigillum auctoritatis suae imprimet doctrinis Scr. S., cui independentem suam auctoritatem contra ius & fas eripuit. Fateor, Dn. *Fischerum* videri velle, quasi Scr. non nisi de rebus huius mundi loquentem, magisterio rationis subiiciat; sed quomodo idem auctoritatem Scr. S. independentem in ipsis rebus ad salutem pertinentibus, & mysteriis, stante hac hermeneutica eius, propugnare velit, prorsus non video.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn826237681/phys_0054
DFG

ipsa indoles eorum mihi persuadet. Si recte memini, huc pertinent loca Psalm. VIII. 5. vbi persona aliqua ante exaltationem suam super tota terra *paulo inferior angelis* fuisse dicitur: itemque Math. XXV. 41. vbi ignis infernalis praeparatus esse dicitur Diabolo & *angelis eius:* vbi quidem non perspicio, quomodo per angelos Diaboli hic intelligi queant animae humanae, aut abusus intellectus & voluntatis. Pertinet huc quoque Hebr. I. 13. non angelis, sed filio dixit: tu es filius meus: Hebr. II. 16. angelos non assumsit, sed semen Abrahae: 2. Petr. II. 4.: inprimis etiam huc spectat Ephes. VI. 12. 13. *Bekkerus* quidem hunc locum de Iudaeis & ethnicis, spiritualiter animas Christianorum oppugnantibus, explicat, sed frustra, cum sermo sit de hostibus, qui carni & sanguini expresse opponuntur. *Fischerus* quoque non felicius per suam hermeneuticam hunc locum peruertet. Nam si ἀρχαὶ τῆς ἐξουσίας sunt animae humanae; cur opponuntur carni & sanguini, qua phrasi homines, Deo & spiritibus oppositi semper denotantur? Dixerit *Fischerus:* ἀρχαὶ τῆς ἐξουσίας sunt potentiorum hominum animae; respondeo: an contra hasce magis requiruntur spiritualia arma, quam contra animas hominum de triuio? an tela ignea Satanae sunt erroneae doctrinae hominum vnice potentiorum? Tela sane falsorum doctorumhic excludi prorsus nequeunt; vid. cap. IV. 14. Denique (nisi forte *Fischerus* hanc euangelistae historiam ad narrationes de spiritibus falsas retulit, quod metuo) indicare Vir doctus debuerat, quales fuerint daemones siue animae humanae, quae in terra Gergesenorum seruatorem sic alloquebantur: quid venisti nos excruciatum ante tempus? quae etiam non licentiam modo sibi expetebant ingrediendi in porcos, sed vere etiam ingrediebantur, ita, vt porci sese confestim praecipites in lacum darent? Haec & plura Scr. S. de spiritibus testimonia aperte prohibent, quo minus innumeri euentus, qui spiritibus in Scr. S. adscribuntur, in seriem ordinariam siue corporum, siue animarum, absque reali & singulari influxu

extraordinario ſpirituum, ab animabus diuerſorum, intrudi queant.

§. IX.

§. IX. *Vanitas praxeos hermeneuticae Fiſcherianae ſpeciatim occaſione hiſtoriae Geneſ. III. demonſtratur.*

Nunc tandem ad ſcopum totius huius capitis propius accedo, ad vindicandum ſcilicet primum fontem ſententiae Paulinae, de malignis ſpiritibus Epheſ. VI. 12. Audaciam Fiſcheri hermeneuticam in perturbando hoc fonte primo ſententiae Paulinae de malignis ſpiritibus, qui in hiſtoria Geneſ. III. reperitur, §. IV. iam tum inter alia deſcripſi. Parcere quippe Vir D. ſimplicitati diuinae huius hiſtoriae non poterat, niſi totum ſyſtema ſuum deſerere voluiſſet. Hinc hiſtoriam illam pro *mero quodam commento* venditat, quod laudabili tamen conſilio factum eſſe contendit, aſtutumque hinc quoque ſerpentem paradiſiacum, atque homicidam ab initio Ioh. VIII. nihil niſi abuſum intellectûs & voluntatis protoplaſtorum denotare exiſtimat. Vanitatem itaque praxeos hermeneuticae Fiſcherianae, & quidem ſpeciatim circa hiſtoriam Geneſ. III. conſpicuam factam paucis illuſtrabo. Profectò ſi aſtutus ille ſerpens nihil aliud fuiſſet, quam abuſus intellectûs & voluntatis; qualis fuit poena huic abuſui diuinitus denunciata his verbis: ſuper ventre ambulabis, & puluerem comedes? quale eſt caput abuſûs intellectûs & voluntatis, quod ſemen mulieris conculcabit? quomodo abuſus ille calcaneum ſeminis mulieris contriuit? Illepidam hanc interpretatiunculam Vir D. ornare vult, vbi ψυχὴν apud Graecos per mulierem, νῦν per virum adumbrari docet. An vero haec Graecorum ſapientia ad tempus Moſis referri poteſt? Si praeſens noſtrum ſeculum eiusmodi hermeneuticam concoquere poteſt; credulitatis ſane nimiae, nimisque inconſideratae merito accuſandum eſt. Profecto hiſtoria Geneſ. III. deſcripta, aut vera hiſtoria eſt, aut nulli prorſus caracteres dantur, quibus hiſtoria ab apologo diſtingui poſſit. Decep-

ti

ti sunt protoplasti vtrique: aliam autem poenam mulier, aliam vir incurrit: inimicitia inter serpentem & mulierem, huiusque vnius semen constituitur. Quodsi ex *Fischeri* sententia, abusus intellectus & voluntatis per astutum serpentem denotatur; scire cupio, in quo differat poena animae sensitiuae, tanquam, mulieris à poena animae rationalis, ceu viri? & qualis poena vtriusque? Dixeris: ornamenta allegoriae haec esse, quae rigide examinari non debeant. Verum ornamenta ita comparata esse non debent, vt ex allegoria absonus verborum lusus nascatur. Praeterea Vir Clar. nihil quicquam poenae agnoscere potuit, quàm mortem spiritualem hominum. At quomodo hoc consistit cum verbis diuinis apud Mosen: pulvis es, & in puluerem conuerteris. Imò, si locus Ioh. VIII. 44. (quod ipse *Fischerus* non negat,) historiae Genes. III. paralelus est: seruator ibi secundum *Fischeri* hermeneuticam abusui intellectus & voluntatis adscripsit paternitatem quandam, cupiditatesque quasdam, nam dicit: Vos estis ex Diabolo, cupiditates patris vestri vultis persequi: ille erat homicida ab initio, nec in veritate perstitit, quoniam non est veritas in eo; quando loquitur mendacium, de suo loquitur, quia est pater mendacii. Lapsus profectò ille Diaboli abusus intellectûs & voluntatis protoplastorum esse non potest, quia plures spiritus & angeli ab initio lapsi sunt, quorum mentio fit 2. Petr. II. 4. Diabolus certe & opera eius differunt 1. Ioh. III. 8. quod iterum contra *Fischerum* pugnat. Imo si serpens ille esset abusus intellectus & voluntatis Euae, non caperem mentem Iohannis Apoc. XII. & XX. qui antiquum illum serpentem, draconem & Satanam testatur totum mundum in errorem adduxisse, & eiectum esse. An etiam Diabolo, ceu abusui intellectus & voluntatis adscripserit auctor libri Sapient. II. quod inuidia eius mors in orbem intrauerit? At locus hic apocryphus ex Ioh. VIII. 44. auctoritaem nanciscitur. Itaque quomodo hic cogitare licet de fabula, laudabili consilio facta, siqui-

ſiquidem ea totam Scr. S. aut errare, aut contra ſenſum communem loqui faceret? An origo & medela omnis mali in mundo inter meros ingenii luſus a Moſe expoſita eſt? Agnoſcatur itaque enthuſiaſmus eiusmodi exegeticus, & teneatur ſimplicitas diuina hiſtoriae Geneſ. III. quo ſimul ſimplicitas ſententiae Paulinae de maligmis ſpiritibus, euangelii hoſtibus, ex primo fonte ſuo, qui Geneſ. III. inuenitur, illuſtrior reddatur.

Index.

1. Casp. Jac. Huthius de Inauguratione Sabbati Christiani Pentecostalis Act. II. 1.
2. Christ. Fred. Rederus de Nicolao Diacono, haeresis Nicolaitarum non auctore; de quo Luc. mentionem fecit Act. VI. 5.
3. Nic. Nonnen de Finibus à Deo per magnam famem, regnante Claudio in orbe grassantem, intentis ad Act. XI. 28. seq.
4. Gottfr. Krause (Prof. G. T. Zacharia) Illustratio Loci Act. XVII. 26.
5. Jo. Jac. Krebsius de Provocatione D. Pauli ad Caesarem.
6. Jo. Chr. Emman. Walchius de Publii πρωτῳ Melitensium. Act. XXVIII. 7.
7. Jo. Christ. Klemmii Disputatio Paulina cum Judd. super modo & medio consequendi salutem aeternam.
8. Nic. Dav. Brieglebi Fortgi scriba Ep. Pauli ad Romanos. Rom. XVI. 22. Subjunctis quibusdam Eloquentiae Paulinae specimini.
9. Chr. Ebert. Heermanni Quaestio: num verba Pauli I. Cor. I. 12. Ego sum Xti, laudis vel censurae sensum habeant?
10. Cd. Eng. Christ. Calvör ad I. Cor. I. 23.
11. Sfr. Gottl. Canzius de eo quod justum, decorum & honestum est circa tribunalia fori, occas. I. I. Cor. VI. 7.
12. Joach. Ehrenf. Pfeiffer de Reconciliatione cum Deo per J. C. ex II. Cor. V. 21.
13. Christ. Mascovii Explicatio Loci II. Cor. VII. 1.
14. Mart. Henr. Teerisse (Praes. J. D. Michaelis) de Syrica Hierapolitana cujus cives Christiani sunt ad Gal. IV. 26.
15. Joach. Oporini Simplicitas divina sententiae Paulinae Cpt. VI. 12. de Hostibus Evang. non tt. Pseudo doctoribus sed malignis etiam Spiritibus.
16. Car. Gottl. Hofmanni Introductio in Lectionem Ep. ad Colloss.
17. Frid. Sal. Wibelii (Praes. Schabringio) Platonismus in Corinthianismo redivivus à Paulo in Ep. ad Colloss. profligatus. occ. I. Colloss. II. 9.
18. Casp. Jac. Huthius de Epistolâ ex Laodicea in encyclica ad Ephesios observata Col. IV. 16.
19. Jo. Just. Kiskerus de Neophytorum Cultu & Illicito ad I Tim. III. 6.
20. Jo. Ad. Osiander de Interpunctione loci I. Tim. III. 16.
21. Wipp. Christ. Huss de Jejunio Pontificiorum quadragesimali secundum Orac. div. I. Tim IV. 1–5.
22. Jo. Petr. Stolle (Resp. C. F. Neubauer) de Conscientiâ cauterio notatâ ad I. Tim. IV. 2.
23. Jo. Dav. Baierus de Pietate quaestuosâ. I. Tim. VI. 5. 6.
24. Jo Bernh. Rambowskii Analysis Logica II Ep. ad Tim.
25. Jo. Sal. Semler Observatt. exegetico-criticae & initiales, praecipue super II Tim. III. & IV.
26. Chr. Aug. Heumannus de Haeretico Paulino Tit. III. 10.
27. Mart. Crüsius (Praes. J. C. Gotfarius) de Διδασκαλιογερουσια in ministerio ecclesiastico observandâ ex Tit. II. 1.
28. Gebh. Aug. Sehmelzeri Nexus dictorum Ep. ad Hebr. Cap. V. 11 — VI. 12. perlustratus.
29. Joach Henr. Pries de Non consummatis Patribus V. T. ad Hebr. XI. 39. 40.
30. Christ. Kortholtus de Simone Petro, primo Apostolorum & ultimo.
31. Jo. Gottl. Fabri Systema Virtutum christianarum pragmaticum ex II Petr. I. 5. 6. 7.
32. Jo. Christ. Kirchmejer de Falsis Doctoribus Dominum ipsorum emtorem negantibus ad II Petr. II. 1.
33. Joh. Jac. Hirsfal (Praes. B. Wagnero) de Fine Mundi, ad illustranda ll. Apoc. XX. 11. XXI. 1. II Petr. III. 7. seqq.
34. Joach. Langii Isagoge Exegetica generalis in Ep. I. Joannis.
35. Joh. Gerhardi de Tribus Testibus in coelo I. Joh. V. 7.
36. Jo. Henr. Becker de Dei nostri gratiam in Asiaticam transmutantibus. Jud. 4.
37. Fr. Andr. Hallbauer Commentatio in Apoc. II. 2 de Explorationa Apostolorum Paesorum.
38. Fr. Christ. Lesserus de Poetis Latinis Biblicis.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn826237681/phys_0059
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn826237681/phys_0062
DFG

tem ſententiae illius apoſtolicae de m
ligo primam patefactionem diuinam
Diabolorum contra euangelium, ex qu
ma ſua Pauli θεοπνευστε ſententia illa
autem patefactionem invenio Gen. I

§. III

Quodſi patefactio quaedam di
uinus dogmatis alicuius inde deriuati
rium eſt, vt patefactio illa partim ſer
tim diuinae originis ſuae indicia ce
quibus de diuina riuulorum origine
oraculum numinis, quod Geneſ. III.
tem ſententiae Paulinae de exiſtentia
ſpirituum contra τὰ ἐπουράνια eſſe pr
oſtendam defendamque contra diſſen
tiam & malitiam Diaboli contra euan
oraculo fundari, ſententiamque ſin
plene ſolideque inde diduci poſſe,
Geneſ. III. propter certa diuinae ſua
nam quoque veritatem ſententiae Paul
illuſtrare.

§. IV.

Vt de ſenſu literali oraculi, qu
certo conſtet; obſeruetur.

1. Serpentem, quem Deus Genes
fuiſſe naturalem quendam ſerp
turalis non poterat de religion
tione, rebusque eiusmodi ali
inſtituere, nec à Deo in iudic
ri. Accedit, quod ipſe ſerua

B 3

bus intel-
& malitia
igine pri-
c primam

m fons di-
; neceſſa-
xum, par-
tpote ſine
Itaque vbi
inum fon-
alignorum
um eſt, vt
im exiſten-
liter in illo
Epheſ. VI.
ulum illud
dicia diui-
Epheſ. VI.

§. III.
Requiſita eiusmodi fontis indicantur, & quod oraculum Geneſ. III. 15. pro diuino fonte illius ſententiae Paulinae de exiſtentia & pugna malignorum ſpirituum contra euangelium haberi poſſit, demonſtratur.

15. legitur,
tus eſt, non
ſerpens na-
interpreta-
colloquium
condemna-
erit, ipſum
Dia-

§. IV.
Demonſtratio ſenſus literalis Geneſ. III. 15.

15.